



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Disputatio IV. De loco & vacuo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

aliquid cognoscendum: sic exhausta non esset potentia post creatum omne creabile, licet amplius non posset aliquid creare.

Prima probatio effi-
cax.

Melius ergo probatur secundò, quia si Deus (ut supra posui) posset facere quantum potest facere, daretur aliquod quantum potest facere: sed nullum datur quantum potest facere, quia Dei potentia est potentia faciendi semper plura & plura. Ergo Deus non potest facere totum, quod potest facere.

Neque dicas: Deus cognoscit totum quod potest facere, & illud ponit totum actu secundum esse obiectum: ergo datur aliquod totum, quod Deus potest facere.

Respondeo enim, Deum cognoscere totum quod potest facere eo modo, quo est totum, videlicet includens semper plura, & plura. Unde distinguo consequentiam: ergo datur aliquod totum determinatum, quod Deus potest facere, nego; datur aliquod totum indeterminatum includens semper plura & plura, concedo.

Altera probatio.

Tertio. Infinitum syncategorematicum non potest reduci ad actum completum, quia est infinitum: omne creabile est infinitum syncategorematicum: ergo implicat ut illud totum reducat ad actum.

Ultima probatio.

Quarto. Quaecunque collectio entium determinata sumatur, adhuc illa tota infinite à Deo distat: ergo adhuc infinite ultra illam Deus est participabilis: ergo adhuc infinite creaturæ sunt possibiles. Eademque ratio probat, non posse fieri creaturam omnium perfectissimam, quia quaecunque creatura producat, adhuc illa distat à Deo infinite: ergo adhuc Deus est ulterius, & perfectius participabilis.

Solutum autem nuper est illud quod adhuc opponi potest, collectionem omnem possibilem adhuc infinite à Deo distare; & tamen præter eam nihil esse possibile: ergo quamvis aliqua creatura infinite à Deo distaret, posset tamen esse omnium perfectissima. Nam allata ibi est disparitas, cui addi præterea potest, collectionem totam possibilem, ut nunc est, infinite quidem à Deo distare; sed quia illa non est aliquid determinatum, quod poni possit totum simul, sed dicit semper plura & plura, præter ultra illam Deus non est participabilis. At verò creatura quæ diceretur perfectissima, & collectio entium, quæ tota simul existeret, esset aliquid determinatum, quod cum infinite à Deo distaret, posset adhuc Deus participari. Distinguitur ergo maior; ideo data quacunque creatura potest Deus facere aliquid perfectius, quia illa infinite à Deo distat, & est aliquid determinatum, concedo; & est aliquid indeterminatum, nego.

Prima obiectio.

Obiicitur primò. Sumo totam collectionem creaturarum possibilem, & sic dico: Non omnes creaturæ, quæ sunt in hac collectione, exceduntur à creaturis: ergo aliqua est, quæ non exceditur: ergo datur aliqua creatura omnium perfectissima. Probo antecedens. Si omnes creaturæ excederentur à creaturis, extra omnes creaturas darentur aliquæ creaturæ.

Resp. distinguendo antecedens, ut in simili negotio sæpe feci. Non omnes creaturæ, quæ sunt in hac collectione, exceduntur collectione sumptæ ab aliis creaturis, concedo; non exceduntur distributione sumptæ, nego. Quamvis enim extra totam collectionem nulla sit excedens alias omnes, nulla tamen est creatura ultra quam non sit alia, & alia in infinitum.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò. Si in collectione creaturarum nulla sit distributio, quæ non excedatur, sequitur plures esse creaturas possibiles excessas quam excedentes, & non esse plures; quæ sunt contradi-

ctoria. Probatur primò esse plures excessas, quam excedentes. Homo in hac collectione omnium est infimus, ut suppono; idem est excessus, & non est excedens: unde argumentor. In hac collectione omnes creaturæ excedentes, sunt etiam excessæ; & non omnes excessæ, sunt excedentes: ergo plures sunt excessæ, quam excedentes. Iam verò quod non sint plures excessæ quam excedentes, probatur, quia quælibet pars quæ exceditur, debet habere unam à qua excedatur immediate: ergo ut omnes excedantur, tot debent esse quæ excedunt, quot excessæ, non plures.

Resp. in eo argumento, siue fiat de infinito categorematico, siue de syncategorematico, esse fallaciam manifestam in eo, quod ponat duas collectiones inæquales, quarum unius partes omnes bis numerentur, alterius autem una pars semel tantum numeretur; ideoque videantur esse pares, cum excedens una sit altera maior, illa scilicet, cuius aliqua pars non numeratur bis: v. g. in hoc argumento de partibus excessis & excedentibus, omnes partes excedentes bis numerantur, cum numerentur, quatenus sunt excedentes, & quatenus sunt excessæ: pars autem prima, quæ est excessæ, & non excedens, non numeratur nisi semel, quia non numeratur nisi ut excessæ.

Responderi ergo debet, quòd in hac collectione creaturarum ab homine v. g. sursum versus plures sunt creaturæ excessæ, quam excedentes; quia homo exceditur, & non excedit. Ad probationem autem concedo illud antecedens; quælibet creatura excessæ debet habere unam à qua excedatur; sed nego consequentiam: ergo tot sunt excedentes, quot excessæ; hoc enim non sequitur, quia omnes excedentes bis numeras, non autem omnes excessas: unde quamvis unicuique excessæ una respondeat excedens, non tamen sequitur esse tot excedentes, quot sunt excessæ.

Obiicitur tertio. In ea collectione omnium creaturarum est summa propinquitas in perfectione cum Deo, quæ potest esse in creaturis: sed illa propinquitas non reperitur in omnibus creaturis; nam in bruto v. g. non reperitur, neque reperitur in pluribus; quæ sunt inter se inæquales: ergo reperitur in una, vel in pluribus, quæ sunt æquales inter se: ergo facere Deus potest creaturam, quæ nulla perfectior sit possibilis.

Resp. concedendo maiorem, distinguendo autem hanc minorem: sed illa propinquitas non reperitur in omnibus creaturis distributione sumptis, concedo; collectione sumptis, nego; nam licet homo v. g. non habeat summam propinquitatem cum Deo, si sumatur solitarie; homo tamen sumptus cum alia tota collectione, habet summam illam propinquitatem.



DISPUTATIO IV.

De loco, & vacuo.

Aristoteles 2. *Physicorum*, vsque ad textum 84.



TERA proprietas corporis naturalis sequens immediate magnitudinem quantitativam, est occupare locum, de quo disputare incipimus cum Philosopho initio quarti libri, ubi statim probat considerationem esse maxime propriam naturalis Philosophi, an sit locus, qualis sit, quas proprietates habeat, & quid sit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

De loco.

Aristoteles usque ad textum 30.

Existentiam loci supponimus potius quam probamus, quia naturæ lumine nota est. Possunt ergo circa eum sex potissimum controuerti: primo, quid sit locus verus & realis: secundo, an & quid sit locus vulgari modo sumptus, seu spatium imaginariū: tertio, quid sit esse in loco, siue vtrum detur internum vbi: quarto, an & quot modis res sint in loco: quinto, an plura corpora esse possint in eodem loco: sexto, an idem esse possit in pluribus locis.

SECTIO I.

Quid sit locus verus, & realis.

Aristotelica definitio.

Varie sententia.

Duplex acceptio loci.

Locus sumptus proprie.

Deo primò, locum propriè sumptum, ac Philosophicè rectè definiti, *Est superficies corporis continentis, immobilis, prima*. Ita Philosophus textu 39. quem vt explicem,

Obserua primò, quadrupliciter diffidere Doctores inter se circa naturam loci. Primò enim nonnulli apud Aristotelem volunt, locum esse aliquid intinsecum ipsi rei locatæ: Plato putat illud esse materiam: Iandunus qualitatē conservatiuam rei locatæ: Simplicius positionem corporis locati cum ordine ad partes fixas vniuersi: Vallesius modum intrinsecum rei, & eius constitutum in loco. Secundò alij, vt Chrysippus, volebant locum esse spatium reale trinam habens dimensionem, aut etiam, vt aiebat Proclus, spatium quoddam reale, substantiale, corporeum, lucidum & animatum. Tertio alij non pauci cum Auicenna existimant, locum esse aliquod interuallum, seu spatium trinè dimensionis, quod sit solum capacitas quædam replebilis corpore, id est spatium imaginariū. Quarto denique Aristoteles vult locum esse superficiem ambientem.

Obserua secundò conciliari facile posse secundam & quartam sententiam, distinguendo locum philosophicè sumptum à loco sumpto secundum communem sensum vulgi. Locus primo modo sumptus est realis, & positua proprietas corporis naturalis: locus sumptus secundum communem sensum vulgi, est id quod vulgus solet appellare locum.

Prima ergo pars conclusionis asserit, locum propriè sumptum esse *superficiem corporis continentis immobilem & primam*; quia locus qui est positua proprietas corporis naturalis, debet esse aliquid reale ac posituum, cui conueniant proprietates loci; nihil autem assignari potest præter superficiem, quia spatium non est aliquid reale, saltem posituè; positio corporis in loco, est præsentia corporis ad locum, sed non est ipse locus: ergo locus primò est *superficies*, id est, extremum corporis, & terminus eius; illa enim est propriè id quod continere dicitur: secundò est *superficies corporis ambientis, seu continentis*; quia locus non est superficies corporis, quod continetur, v. g. pellis animalis non est eius

R. P. de Rhodes curs. Philosophiæ

A locus: tertio est *immobilis*, vt distinguatur à vase, vt statim declarabitur: quartò dicitur *prima*, quia non quacunq; superficies corporis continentis est locus, sed ea quæ prima occurrit contento, seu quæ illud tangit.

Secunda docet, locum secundum communem sensum vulgi esse spatium illud quod occupatur à re locata. Ratio est, quia communiter dicitur corpus esse in spatio tanquam in loco, & audito loci nomine, statim quisque concipit spatium occupatum. Ratio est, quia quando corpus aliquod non mouetur, dicitur manere semper in eodem loco, quantumvis circa illud mutantur superficies corporis ambientis. Rursus dicimus, rem mutare locum per hoc quod mutat spatium, etiamsi eadem superficies illud ambiat. Dicimus etiam locum esse terminum necessarium motus localis; fieret autem motus localis etiam in vacuo vbi nulla est superficies. Denique dicimus rem esse hic, aut ibi, nullo habito respectu ad superficiem continentem, sed ad certum spatium quod designare solemus per distantiam certam à punctis fixis vniuersi.

B Dico secundò, proprietatem loci philosophicè sumpti esse vt sit immobilis, quatenus non necessariò mouetur ad motum rei locatæ.

Obserua locum vulgari modo sumptum pro certo esse immobilem, cum sit spatium illud quod occupabatur; difficile autem explicari, quomodo superficies corporis ambientis, v. g. aëris, dicatur esse immobilis. Aliqui cum Pererio negant, locum quemlibet esse immobilem, sed locum connaturalem: v. g. locus ignis est concava cœli superficies tota, intra quam necessariò est aqua, etiamsi partes varias habeat. Alij negant superficiem illam immobilem esse secundum se, sed prout dicit relationem ad talem superficiem spatij imaginarij, secundum quam est prius immobilis. Alij cum S. Thoma *opusc.* 3. 1. dicunt locum sumi primò prout est superficies corporis ambientis, & sic mobilis est per accidens: secundò prout superficies dicit determinatam distantiam à centro terræ & polis mundi, sicque locus est immobilis; licet enim superficies ipsa moueatur, non mouetur tamen prout dicit connotationem talis distantia. Denique alij volunt, locum esse immobilem, quia non necessariò mouetur ad motum rei locatæ; licet moueatur ad motum corporis continentis, cui locus ipse inhæret: v. g. cum ambulo, non mecum moueo aërem ambientem; quod si flante vento superficies quæ me ambit, moueatur, non mouetur certè ad motum meum, sed ad motum aëris quem impellit ventus; quam ego explicationem approbo.

C Ratio est, quia non potest locus aliam habere immobilitatem, per quam distinguatur à vase, & per istam ab eo sufficienter distinguitur: ergo locus idèd dicitur esse immobilis, quia non necessariò mouetur ad motum rei locatæ. Probo antecedens, quia si dicatur immobilis esse ista superficies, quatenus connotat partes fixas mundi, erit vas eodem modo immobile; idem dico de alia qualibet explicatione: si autem dicatur esse immobilis, quia non mouetur necessariò ad motum rei locatæ, immobilitas illa non conuenit vasi, sed soli loco.

D Dices: Si locus dicitur immobilis, quia non necessariò mouetur ad motum rei locatæ, quantumvis secundum se sit mobilis; ita etiam corpus locatum dici poterit immobile, quia non mouetur ad motum loci, quod absurdum est.

E Dices: Si locus dicitur immobilis, quia non necessariò mouetur ad motum rei locatæ, quantumvis secundum se sit mobilis; ita etiam corpus locatum dici poterit immobile, quia non mouetur ad motum loci, quod absurdum est.

Locus secundum vulgi sensum.

Immobilitas loci.

Quadruplex eius explicatio.

Probat. Probatur.

Instantia.

T

Resp.

SECTIO II.

An, & quid sit spatium imaginarium.

Explicata quidditate loci realis, quem aliqui assererebant esse spatium occupatum à corpore, superest ut de spatio illo dicam aliquid, ut eo intellecto, facile de tota loci quidditate iudicium ferri possit. Quia verò duplex est spatium, aliud reale, aliud imaginarium; spatium reale dicitur quodcumque corpus realiter extensum; spatium verò imaginarium appellatur illud in quo totus situs est mundus, quod concipitur extra mundum in infinitum protendi, & in quo varia sibi succedunt corpora intra mundum; quod etiam conciperetur manere si destrueretur totus mundus. De spatio reali nulla inter Doctores est difficultas, de solo imaginario celebris est controversia, vtrum illud reuera sit aliquid reale, & quid sit: deinde, vtrum Deus sit verè in illis spatiis; quæ tamen omnia facile componi posse video, si de vocibus non esset dissidium. Ergo ut vitem omnes ambages vocum, statim primò, vtrum Deus verè sit supra cælos diffusus in infinitum; deinde vtrum præter Deum sit reale ali-quod spatium supra cælos, cui coexistere Deus dicatur, voceturque spatium imaginarium; vnde concludi facile poterit, quomodo in spatiis imaginariis sit Deus.

§. I.

Vtrum Deus reuera sit supra cælos.

Dico primò, Deum reuera esse supra cælos diffusum in infinitum. Ita docent Suarez *disp. 30. Metaph. sect. 7.* Lessius *lib. 2. de attributis, c. 2.* Molina, Gillius, Valentia, Pasolus, contra Valquem qui solis tamen dissidet vocibus.

Primò enim apertè sic traditur *cap. 10. libri Iob: Excelsior cælo, profundior inferno, longior terræ mensura eius, & latior mari.* Quibus verbis nihil expressius dici potest. Suffragantur Patres, Hilarius *lib. 2. de Trinit. Infusus, & circumfusus, exterior interna concludit, excedit exterior.* & *in circumscriptione spiritus sui cuncta transcendit.* Gregorius *lib. 2. moralium, c. 10. Ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia: superior est per potentiam, inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem: sursum regens, deorsum continens, extra circumdans.* Athanasius *epist. 1. ad Serapionem: Ubique est, & extra omnia, implet omnia, manens extra omnia.* Theodorus Ancyra Episcopus, homilia in natalem Salvatoris, *cap. 10. Concilij Ephesini: Divinitatis plenitudo adimplet omnia, & ita implet, ut omnem creaturam excedat.* Denique Damascenus *lib. 1. fidei, c. 16. Deus cuncta replens, & super omnia emittens, totus in omnibus, & totus super omnia.*

E Secundo idem ratio suadet, quia non minus dici Deus potest extra mundum per immensitatem, quam ante mundum per æternitatem: sed verè dicitur Deus fuisse ante mundum conditum; quis enim hoc ausit negare? ergo eodem modo dici potest esse extra mundum. Maior patet, quia non est excogitabilis vlla disparitas; sicut enim extra mundum non est spatium reale, in quo dici possit esse Deus, ita nec ante mundum fuit tempus reale. Ideo ergo dicitur fuisse ante mundum, quia nullum potest ante mundum instans signari,

Respondeo negando, rem locatam vocari posse immobilem, quamvis non moueatur necessariò ad motum loci; nam idem locus vocatur immobilis, quia quamvis contineat locatum sicut vas, moto tamen locato non necessariò mouetur; cum tamen proprium sit vasis moveri ad motum rei, quam continet: locatum autem non continet locum, atque ita vocari non debet immobile.

Dico tertio, alias quasdam esse loci proprietates. Prima est, ut locus ita contineat locatum, ut sit maior locato, secundum extimam superficiem, alioqui non contineret; æqualis autem sit locato secundum concavam superficiem, nam si esset maior, sequeretur aliquam partem loci esse vacuam; si minor, aliqua pars loci non ambitur. Secunda est, ut locus sit separabilis à re locata, quia motus dicit locum ut terminum à quo qui deseritur, & terminum ad quem acceditur: ergo per motum locus vnus acquiritur, & alter perditur.

Obiicitur primò, locum non esse superficiem, quia locus habet contrarium, & loca sunt specie diuersa: sed superficies ut superficies, non habet contrarium: ergo non est locus. Deinde si locus est superficies, sequitur vltimam sphaeram celestem non esse in loco, non enim ambitur vlla superficies: hoc autem absurdum est.

Respondeo concedendo, quod locus sumptus secundum sensum vulgi habet contrarium; sumptus autem philosophicè non habet contrarium. Vltimum cælum reuera non est in loco sumpto philosophicè, sed est in loco sumpto secundum sensum vulgi, sicuti etiam partes internæ corporis.

Obiicitur secundo, in omni motu locali mutari locum: sed non mutatur superficies: ergo locus non est superficies. Probat minor. Currat lembus secundo anme hinc Auenionem; ille non mutaverit superficiem aquæ, quæ simul lembum direxerit, imò nec mutaverit superficiem aëris, si flante vento aër etiam in eam partem impulsus fuerit. Similiter illud non est locus, quod mobile mutat, licet non moueatur: sed turris v.g. flante vento milles in die mutat superficiem aëris, & tamen immota manet.

Respondeo, solui etiam illa omnia eodem modo; mutatur enim in omni motu locali locus sumptus secundum sensum vulgi, non locus sumptus propriè, ac philosophicè.

Obiicitur tertio. Si locus est superficies, sequitur locum aëris esse superficiem ignis; hoc autem falsum est, quia locus naturalis est conseruatiuus locati, superficies autem ignis non est conseruatiua ipsius aëris. Similiter si locus proprius lapidis est superficies aquæ, sequitur lapidem moueri violenter à centro, & naturaliter debere ascendere à centro ad superficiem aquæ, quod absurdum est. Denique superficies est species infima: ergo non potest esse genus in hac definitione.

Resp. locum aëris philosophicè sumptum esse superficiem ignis (si tamen illa est sub cælo) quæ conseruatiua etiam est aëris secundum qualitatem symbolam, non secundum qualitatem dissymbolam. Nego autem debere lapidem moueri sursum à centro ad superficiem aquæ, quia motus naturalis non est ad locum naturalem sumptum philosophicè; sed ad locum naturalem sumptum vulgari modo. Denique concedo superficiem non esse genus, quia ista non est propria definitio, sed descriptio in qua superficies se habet materialiter, continentia verò se habet formaliter.

Aliæ loci proprietates.

Prima obiectio.

Secunda obiectio.

Tertia obiectio.

Spatium imaginarium & reale.

Conclusio affirmans.

Scriptura & Patres.

Ratio.

signari, quantumvis à principio mundi distans, in quo non fuerit Deus: ita extra mundum nullum potest fingi punctum, quamvis à mundo remotum, ubi plenissime non sit Deus.

Ex variis
abluendis.

Tertio ex variis absurdis licet argumentari. Primum est, quia si Deus non esset supra caelos, posset dari aliqua creatura maiorem habens extensionem, quam nunc habeat Deus; quod est absurdum. Probatur sequi; Deus enim potest facere mundum maiorem, quam iste sit: ille mundus plus haberet extensionis quam nunc Deus habeat, Deus enim (ut supponitur) non habet maiorem extensionem quam iste mundus. Alterum absurdum est, quia Deus haberet extensionem omni ex parte finitam. Tertium posset Deus esse seiunctus à se ipso; faciat enim Deus funem leucalem, in cuius extremo utroque faciat duos mundos, tum destruat illum funem, isti duo mundi distant inter se, Deus est in utroque mundo, non autem in medio: ergo Deus distat à se ipso. Denique sequeretur omnino, Deum posse moveri; sit enim homo supra caelos, & ambulet, Deus in illo erit homine, non extra illum: ergo movebitur Deus. Item moveatur caelum & mundus totus motu recto, erit necesse ut cum mundo Deus ipse moveatur.

Constat igitur Deum extra caelos esse infinite diffusum; quomodo autem ibi sit, superest explicandum; arguunt enim in contrarium adversarij: Deus esse non potest extra caelos. Et similiter respondent allatis argumentis, nullum omnino esse supra, vel extra caelos, sicut nullum est ante mundum. Quod ut dissolvam clarissime, videntur est.

S. II.

Verum spatium imaginarium sit aliquid reale supra caelos.

Affectio tri-
partita.

Dico secundò, spatium imaginarium esse aliquid verè reale supra caelos infinite diffusum; sed non esse tamen aliquid actuale distinctum ab ipso Deo, cuius sola immensitas, prout connotat spatium reale, quod potest ei coexistere, reuera est spatium imaginarium; sicut eius aeternitas prout similem habet connotationem temporis realis, est verum tempus imaginarium. Ita tradit expressè Lessius lib. 2. c. 2. significatque omnino Valquez disp. 29. c. 3. 4. & 5.

Datur ve-
rum spa-
tium supra
caelos.

Prima pars asserit, admitti debere supra caelos spatium aliquod reale. Probatur, quia illud est spatium verè reale, in quo licet assignare realiter alibi, & alibi: sed in vacuo illo, quod est extra caelos, assignare verè licet alibi, & alibi: ergo illud est verè reale. Probatur minor. Si caelum motu recto moveretur per horam, esset pro certo alibi quam nunc sit. Similiter si Petrus collocaretur supra poli arcticum, & Paulus super antarcticum, alibi esset Petrus quam Paulus. Imò Christus, si est supra caelum empyreum, alibi habet pedes, & alibi caput: ergo in illo spatio licet assignare alibi & alibi. Denique potuit Deus mundum alibi facere quam nunc sit, cum possit illum movere nunc; & si faceret alium mundum, posset illum mundum novum ponere ibi ubi est iste mundus: ergo necessariò ibi est spatium.

Secundò. Deus extra caelum potest facere plures mundos, & unum ab altero distantem: ergo inter unum & alium mundum intercedit hoc spatium reale. Consequentia est evidens, quia illa quæ distat, interiectum habent spatium. Probatur ante-

R. P. de Rhodis curs. Philosoph.

Acedens. Extendat enim Deus funem à caelo per mille leucas, & in eius extremitate creet alterum mundum; ille mille leucis distabit à caelo: annihilat funem, eodem modo distabit. Confirmatur, quia Deus extra mundum creare potest alium, vel isti contiguum, vel ab illo distantem; si crearetur distans, in alio esset spatio, quam si esset contiguus.

Secunda pars negat spatium istud esse aliquid reale distinctum ab ipso Deo. Probatur, quia spatium istud à Deo distinctum, vel esset negatio, vel spatium possibile, vel capacitas recipiendi corpus, vel negatio simul cum illa capacitate; nullum ex his dici potest; primò enim, quod non sit negatio, probatur, quia negatio definit esse quando advenit forma cuius est negatio: sed dum advenit spatium positum, non tollitur hæc capacitas: ergo illa non est negatio. Deinde negatio negationis est aliquid positum: hæc capacitas est negatio negationis: ergo est aliquid positum. Præterea implicat negationem hominis dici hominem: ergo implicat negationem spatij dici spatium. Denique id quod debet realiter successivè pertransiri, non est negatio: istud spatium debet necessariò successivè pertransiri: ergo non est negatio.

Secundò, quod illud reale non sit spatium possibile, probo, quia spatium imaginarium est aliquid actuale, alioqui non contineret actu rem locatam; implicat enim ut corpus actu sit in re aliqua possibile, quæ nullo modo existat. Deinde coexistere illa dicuntur, quæ ambo existunt simul: sed corpus coexistit spatio imaginario: ergo illud est aliquid actu existens, non autem duntaxat possibile. Denique conclusio negat duntaxat dari supra caelos spatium reale actuale distinctum ab ipso Deo; non negat dari spatium possibile supra caelos.

Denique, quod spatium imaginarium non sit capacitas recipiendi corpus, vel negatio simul cum capacitate, probatur, quia vel illa capacitas est aliquid reale positum actu existens, vel est negatio, quæ omnia superius reiecta sunt: ergo spatium imaginarium non est capacitas, vel negatio cum capacitate.

Tertia pars asserbat, spatium illud imaginarium esse diuinam ipsam immensitatem infinite diffusam, non absolute sumptam, sed prout connotat spatium reale possibile, quod ei potest coexistere.

Ratio est primò, quia Patres sapissime aiunt, Deum esse locum omnium rerum, & non esse nisi in se ipso. Dionysius, lib. 1. de diuinis nominibus, eum dicit esse *οὐρανὸν καὶ γῆν, καὶ ὅλα τὰ ἐν αὐτῷ, ἐκ τῆς αὐτῆς οὐσίας, καὶ ἐκ τῆς αὐτῆς ἐνέργειας, καὶ ἐκ τῆς αὐτῆς ὁμοιοῦς*: c. 10. *ὅθεν πάντες οὐρανοὶ καὶ γῆ, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ, ἐκ τῆς αὐτῆς οὐσίας, καὶ ἐκ τῆς αὐτῆς ἐνέργειας, καὶ ἐκ τῆς αὐτῆς ὁμοιοῦς*. Bernardus lib. 5. de consid. *Non est quod quæras ultra ubi erat, præter ipsum nihil erat: ergo in se ipso erat.* Tertullianus contra Praxeam c. 5. *Ante omnia erat Deus solus ipse sibi & mundus & locus & omnia.* Minutius in Octauio ait, *Parentem omnium Deum nec principium habere, nec terminum, qui ante mundum fuerit sibi ipse pro mundo.*

Secundò argumentor à simili; sicut enim si aer diffusus esset in immensum, vel si lumen per se subsistens immensum esset, verissima ibi essent spatia: ergo si spiritus aliquis in immensum sit extensus, illud erit spatium, non corporeum illud quidem, & cuius una pars distincta sit ab alia, quia spiritus non diffunditur per partes; sed spirituale, & diffusum per totalitates diuersas virtualiter: sed Deus eo modo est diffusus: ergo Deus potest esse spatium immensum. Alterum simile est: Sicut mundus

T 2 iste

Non est ali-
quid distin-
ctum à Deo.

Quia im-
mensitas est
tale spatium.

Patres.

Probatio à
simili.

iste non est in spatio aliquo creato, sed ipse suum est spatium, imò est totum spatium per suam extensionem; fingamus etiam fieri alium mundum extra istum, ille tunc erit spatium extra cœlos, quia erit extensus: ergo Deus etiam esse potest spatium per suam extensionem. Vel si lubet, annihilat Deus omnia præter unum Angelum; ille verum erit spatium spirituale per suam extensionem: ergo Deus etiam est spatium. Denique sicut divina essentia est primæva essentia, fundamentum, & basis, & origo totius essentia & entis conceptibilis: ita divina immensitas est primum & intimum interval- lum, origo omnis intervalli, spatium omnium spa- tiorum; sedes & basis primordialis omnis loci & spatij.

Ratio à priori.

Prima ob- iectio.

Obiicitur primò. Datur supra cœlos vacuitas aliqua replebilis corpore: illa vacuitas est aliquid distinctum à Deo, Deus enim non est vacuitas, cum vacuitas sit negatio: ergo datur supra cœlos ali- quid distinctum à Deo, quod vocatur spatium ima- ginarium. Probatior maior. Priuationes, & negatio- nes sunt realiter in rerum natura, quamvis non sint entia verè realia; homo enim realiter dicitur cæcus, mortuus: sed supra cœlos datur negatio spa- tij realis positivi, quæ est vacuitas replebilis corpo- re: ergo datur realiter vacuitas.

Resp. negationes & priuationes non esse reali- ter in rerum natura, si realiter, sumatur propriè, si au- tem sumatur impropriè, fateor illas esse realiter. Tunc realiter, sumitur propriè, quando significat existentiam alicuius rei, quæ non est merum nihil: tunc impropriè sumitur, quando significat id. quod nullo cogitante intellectu est purum nihil. Priua- tiones posteriore hoc modo dicuntur esse realiter, non autem primo modo; dicuntur enim esse rea- liter, quia sunt purum nihil ante omnem operatio- nem intellectus. Unde ad formam argumenti distin- guo maiorem: datur realiter supra cœlos vacuitas, si realiter, significet existentiam rei alicuius, quæ non sit purum nihil, nego maiorem; si realiter, significet quod supra cœlos est purum nihil, etiam- si nullus cogitet intellectus, concedo maiorem; eo enim duntaxat modo negationes reales sunt, ut no- tabam. Sic enim fateor, quod supra cœlos est nihil distinctum à Deo; sed nego esse aliquid distin- ctum à Deo supra cœlos, ideoque consequentia illa non valet: ergo datur aliquid realiter supra cœlos distinctum à Deo, cum dici potius debeat: ergo nihil datur supra cœlos realiter distinctum à Deo.

Instantia.

Instantis primò. Illud nihil quod datur realiter supra cœlos, est spatium illud imaginarium, quod dicitur distinctum esse à Deo.

Respondeo illud nihil dici non posse spatium imaginarium, quamvis realiter sine nullo cogitante intellectu sit nihil; quia spatium imaginarium non est priuatio tantum, ut probavi nuper; istud autem nihil, non est aliud quam priuatio. Deinde illud nihil, entiam si eo modo sit realiter nihil, nullo ta- men modo dici potest ens reale, neque magis esse realiter, quam chimæra, quæ nullo cogitante intel- lectu est nihil; sicut enim malè ille loqueretur, qui diceret: *Datur realis chimæra, quia chimæra rea- liter est nihil*; sic impropriè ille loquitur, qui dicit, spatium imaginarium esse reale, quia illud spatium est realiter nihil.

Altera in- stantia.

Instantis secundò. Entia possibilia sunt realia negativè; spatium supra cœlos est possibile: ergo illud est ens reale negativè.

Respondeo entia possibilia esse realia negativè, non quòd actu sint villo modo realia, sed tantum,

A quòd non repugnet illa esse realia. Spatium ergo possibile fateor esse reale negativè, idest verè possi- bile; sed nego illud esse actuale.

Obiicitur secundò. Antequam produceretur mundus, habebat capacitatem ut ibi produceretur vbi est productus: sed illud vbi, in quo mundus est productus, & in quo ante productionem nihil erat, est inane, quod habebat capacitatem ut repleteret corpore: ergo illud inane reuerà est realiter supra cœlos.

Secunda ob- iectio.

Respondeo, si per illud vbi, aliud intelligatur quam vna pars virtualis diuinæ immensitatis, cui poterat mundus coexistere, nego maiorem; si verò intelligatur pars hæc virtualis diuinæ immensita- tis, concedo; cum enim dicis, potuit mundus ante- quam fieret, fieri vbi nunc est, vel etiam potuit fieri alibi, sensus est, mundum potuisse coexistere, vel illi parti virtuali diuinæ immensitatis, vel alteri. Cum enim diuina immensitas, licet omnino indiuisibilis in se ipsa, sit tamen magnitudo quædam virtualis, non habet quidem partes formales, sed habet partes virtuales, quæ nimirum æquivalent partibus actua- libus.

Obiicitur tertio. Spatium illud quod est supra cœlos, est aliquid imaginarium: immensitas Dei non est aliquid imaginarium: ergo immensitas Dei non est illud spatium. Imò Deus est in spa- tiis imaginariis: ergo non est spatium imagi- natium.

Tertia ob- iectio.

Respondeo imaginarium posse significare vel il- lud quod est merè fictum, vel illud quod connotat in obliquo aliquid non existens, sed possibile. Si spatium supra cœlos significet aliquid distinctum à Deo, est verè imaginarium primo modo, idest, om- nino fictitium: si autem significet ipsam immensi- tatem Dei, quatenus connotat spatium possibile quod ei potest coexistere, est imaginarium secundo modo; est enim verè reale & actuale, secundum id quod dicit in recto, quamvis in obliquo dicat ali- quid possibile. Quod additur, Deum esse in spatiis imaginariis, exigit ut breuiter expli- cetur.

S. III.

D Quomodo Deus sit supra cœlos in spatiis ima- ginariis.

Dico tertio, Deum esse supra cœlos per præsen- tiam purè absolutam, non autem per præsen- tiam respectiuam, idest, Deum ita esse supra cœlos, ut non sit in villo spatio à se distincto, cui coexistat, & in quo contineatur; sed esse tantum in se ipso vbi cumque animus fingere potest aliquod spatium, & vbi cumque corpus aliquod fieri potest. Ita Les- sius, Falolus, Arriaga. Eget autem explicatione ma- gis quam probatione.

Conclusio
trimestris

Obserua igitur, posse aliquid esse præsens loco duobus modis. Primò absolute, secundò respecti- uè. Tunc dicitur absolute præsens loco, quando ibi est secundum suam entitatem vbi esse dicitur, sed non habet quidquam aliud sibi coniunctum, in quo contineatur, aut cui coexistat: v. g. cœlum Empyreum habet veram præsentiam in loco vbi esse dicitur, quia eius entitas ibi existit, sed illa en- titas non habet quidquam creatum sibi coniunctum cui coexistat, & ad quod referatur, ideoque habet præsentiam absolutam. Tunc aliquid dicitur præsens respectiue spatio, quando ibi est secundum suam en- titatem vbi esse dicitur, & coexistit alicui alteri à se di- stincto, quod tangit, & ad quod dicitur habitudinè, v. g. quidquid

Præsentia
absoluta &
respectiva.

quidquid est intra cælum, habet præsentiam respectivam in spatio, quia suam entitatem in eo habet, & coexistit etiam alteri, quod tangit.

Deus habet
supra cælos
præsentiam
absolutam.

Eodem igitur modo quando Deus dicitur extra mundum esse in spatiis imaginariis, si esse in iis intelligatur cum habitudine ad aliquid aliud, cui coexistat, habebit præsentiam respectivam; si verò intelligatur extra mundum esse, solum per realem præsentiam sine ordine ad rem ullam extrinsecam, idest ubicunque nos concipimus spatium per modum vacui, quod repleti à corpore potest, tunc habebit præsentiam absolutam. Cum igitur audis Deum esse in spatiis imaginariis, sensus non est, Deum ibi esse tanquam in aliquo reali à se distincto, aut id quod realiter non est, continere Deum; sed sensus solum est, Deum reverà existere ubicunque spatium aliquod animo fingi potest, & se extendere ad omne punctum, quod mens cogitare potest ex ra cælum. Et hoc optimo declaratur exemplo divina æternitatis, cū enim dicitur, Deum tunc fuisse ante totum tempus reale; illud tunc, non significat aliquam durationem, quæ actu extiterit à Deo distincta, sed significat durationem Dei ut aptam ad coexistendum tempori vel instanti, quod antea esse posset. Ita illud adverbium *ibi*, non iudicat locum realem actu existentem, sed solum præsentiam Dei per immensitatem, ut de se aptam ad coexistendum localiter cuicunque corpori realiter ibi existenti, de facto tamen existentem tantum in ipso, & non in alio. Sic igitur explicata conclusio non eget probatione.

Prima enim pars, quod Deus supra cælos præsentiam habeat absolutam, prima conclusione probata est. Secunda verò pars, quod non habeat ibi præsentiam respectivam, ex secunda conclusione constat, quæ ostensum est, nihil esse reale supra cælos à Deo distinctum, cui Deus possit coexistere, & in quo contineri dicatur. Ex quo sequitur, Deum non esse aliter in spatiis imaginariis, quam quia existit supra cælos ubicunque mens fingere potest aliquod spatium, vel ubicunque fieri potest aliquod corpus; quod allerebat tertia pars conclusionis.

SECTIO III.

Quid sit præsentia rei ad locum & spatium, siue, an, & quid sit vbiatio interna.

Explicata quidditate loci, tum realis, tum imaginarij, statim sequitur ut comparetur res locata cum ipso loco, & explicetur quid sit præsentia rei locata ad ipsum locum, quæ vocari solet *vbiatio*. Controuersia enim ista est in scholis celeberrima de distinctione vbiationis à re vbiata, vbi video posse disputari duo. Primum est de vbi permanente; secundum de vbi fluente. Vbi permanens vocatur præsentia, quam res habet dum quiescit in loco; vbi fluens vocatur præsentia, quam res habet dum mouetur.

S. I.

Verum vbi permanens sit distinctum à re locata.

Conclusio
negativa.

Deo primò, vbiationem permanentem, seu modum præsentia rei ad locum non esse aliquid distinctum à re locata, quod motum terminet localem, & rem constituat in loco; sed esse putam connotationem, quæ dicit in recto rem locatam; locum autem in obliquo, cui est indistans, & muta-

R. P. de Rhedens curs. Philosoph.

tionem aliquam, quæ res locata sit indistans à loco. Ita omnino docet S. Thomas 1. 2. q. 110. art. 3. & cum eo Nominales omnes, Gregorius, Sorus, Toletus, Fonseca. Contrarium Constantissimè tradunt multi Recentiores, Suarez, Vasquez, Albertinus, Hurtadus. Alij autem cum Lugo nouum inuenerunt modum distinguendi vbiationem quam volunt esse ipsam actionem productivam rei, quæ sit & vbiatio, & duratio semper fluens, necessariò mutabilis quoties res est in alio loco & tempore.

Ratio autem primò sit, quia per illud res non constituitur formaliter præsens loco, quod est posterius præsentia locali: sed vbiatio illa distincta esset aliquid posterius præsentia locali: ergo res non constituitur præsens loco per vbiationem distinctam. Probatur minor. Illud est posterius præsentia rei locata: ad locum, quod est posterius indistans: sed illud vbi est posterius indistans: ergo illud vbi est posterius præsentia. Probatur minor. Implicat ut vbiatio, quam habeo hic, producat per motum antequam perueniam huc: sed peruenire huc est esse hic: ergo implicat ut præsentia rei ad hunc locum producat antequam sim hic.

Responderi solet illam vbiationem produci hic, sed ita ut per illam corpus constitutur hic.

Sed contra. Omnis conditio ex parte subiecti ut producat accedens, est prior productione accidentis, ut inductione probari potest; huiusmodi enim conditio se tenet ex parte causæ materialis: sed esse in hoc loco, est conditio ex parte subiecti, ut producat præsentia rei ad hunc locum: ergo prius corpus est hic, quam producat vbi. Præterea priusquam corpus locatum recipiat modum illum præsentia, debet esse proximè dispositum ad illum recipiendum: sed non est proximè dispositum ad recipiendam hanc vbiationem, nisi sit hic: ergo prius natura debet esse hic, quam recipiat hanc vbiationem; si enim esset in alio loco, non posset recipere hanc vbiationem.

Dices, eodem argumento probari posse, quod motus localis non distinguitur à mobili; prius enim mobile præsens est loco, quam accipiat motum, per quem efficitur præsens loco successivè.

Resp. esse disparitatem, quia mobile non debet prius peruenisse ad locum in quo constituitur non solum formaliter, sed etiam effectivè per motum; vbi autem non constituit effectivè, sed formaliter rem locatam in loco: ostendo autem, quod prius effectivè constituta sit quam habeat vbiationem: ergo prius etiam præsens est formaliter, quam habeat distinctam vbiationem. Sed de hoc iterum cum agam de motu.

Altera ratio est, quia istius vbiationis permanentis, distincta nulla potest assignari causa productiva. Vnde sequitur illam nullam esse. Probatur (ut opinor) evidenter. Si esset aliqua causa productiva vbiationis huius permanentis, illa esse non posset nisi motus localis: sed motus localis non potest producere illud internum vbi; si enim illa vbiatio distincta produceretur à motu, vel produceretur à toto motu, vel à parte solum aliqua motus. Non à toto motu, quia sic vbi quod aliquis Roma veniens habet Parisiis, incepisset produci Roma. Neque ab aliqua parte motus, quod probatur, quia illa pars motus quæ producit vbi, est necessariò divisibilis, ut ex dictis patet: sed pars motus divisibilis non potest producere vbiationem in hoc loco, siue sit determinata, siue sit indeterminata: ergo nulla pars motus potest producere vbi. Probatur minor. Omnis pars divisibilis habet partes priores & posteriores: sed implicat ut partes priores

Prima ratio.

Secunda ratio.

T 3 res

res motus producant hanc vicationem: ergo implicat ut pars diuisibilis producat hanc vicationem. Probo minorem. Non potest hoc vbi prodci extra istum locum: sed quando existunt partes priores motus, corpus est extra istum locum: ergo vbiatio non potest prodci per partes priores motus.

Duplex
confirmatio.

Confirmatur primò, quia implicat ut motus agat nisi quando existit: sed quando producit vbi permanens, motus non existit; tunc enim non existit motus quando mobile quiescit, & peruenit ad hunc locum: sed quo instanti producit vbi, mobile quiescit, & peruenit ad hunc locum; vbi enim permanens est forma, per quam mobile quiescit in termino ad quem: ergo motus non potest producere vbi permanens.

Confirmatur secundò, quia si datur vbiatio distincta, sequitur quod infinita vbi totalia producantur per quemlibet motum: hoc autem absurdum est. Sequela manifesta est, quia in quolibet puncto spatij corpus habet nouum vbi totale: ergo in fine motus acquisiuit infinita vbi totalia. Vel autem illa producantur successiue, vel producantur simul & in instanti. Non primum, quia si præsentia localis produceretur successiue, res locata haberet partem huius præsentia localis extra hunc locum. Non secundum, quia motus est causa productiua huius præsentia: sed in instanti non est motus: ergo in instanti non producit hanc præsentia. In quo est discrimin huius præsentia ab actione, de qua olim dixi.

Confirmatur tertio, quia idè pars determinata motus non producit vbi, quia est diuisibilis habens partes priores & posteriores: sed pars etiam indeterminata est diuisibilis: ergo etiam pars indeterminata motus non producit vbi.

Tertia ratio.

Tertia ratio est, quia res qualibet sufficienter constituitur in loco per suam entitatem: ergo non requiritur modus præsentia superadditus. Probo antecedens. Rem esse præsentem loco, est superficiem corporis contenti tangere superficiem aëris ambientis: sed res tangit aliam per suam entitatem: ergo res est præsens loco per suam entitatem. Probatur maior. Præcis per intellectum quibuscumque aliis, & intellecto solo contactu superficiei locatæ cum superficie loci, verè locatum intelligitur præsens loco, & est impossibile non intelligere præsens: ergo per solam suam entitatem locatum intelligitur præsens loco. Et confirmatur, quia locare nihil est aliud, quàm ambire: ergo locari non est aliud quàm ambiri loco sine modo superaddito, similiter requiretur modus superadditus, ut corpus ambiatur veste. Imò si locatum non potest esse præsens loco, & eo ambiri sine modo superaddito, sequitur quod etiam locus habet modum superadditum, per quem fiat præsens locato; locus enim non minùs est præsens locato, quàm locatum loco: & omnia argumenta quæ probant necessitatem vnius, probant necessitatem alterius.

Supererat ut dicerem de singulari & noua sententia, quæ ponit actionem fluentem, & illam vult esse tum vbiationem, tum durationem: sed de hoc opportuniùs dicitur *disp. s. dum agam de duratione.*

Prima obiectio.

Obiicitur primò. Illud, quod potest separari à re locata & à loco, est distinctum realiter ab utroque: sed præsentia localis, v.g. esse hîc, separatur à re locata, & à loco: ergo præsentia localis est aliquid distinctum ab utroque. Probatur minor. Potest in rerum natura existere Petrus, & existere iste locus, & tamen Petrus non erit hîc: ergo Petrus esse hîc, est aliquid separabile ab entitate Petri & loci, atque

A ita coniunctio entitatis Petri cum entitate loci est modus superadditus.

Neque dicas, præsentiam localem præter Petrum & locum dicere indistantiam Petri à loco, siue contactum; redit enim argumentum, quia Petrus & locus esse possunt in rerum natura sine illo contactu: ergo ille contactus est aliquid distinctum à Petro & à loco. Idemque reponi poterit si dixeris præsentiam localem requirere ut Petrus & locus sint simul; potest enim existere, & non existere locus, quin Petrus & locus sint simul: ergo esse simul est aliquid distinctum à Petro & à loco.

Neque dicas secundò, præsentiam localem dicere præter Petrum & locum negationem corporis interiecti. Contra enim arguo, quia esse præsens & penetrari sunt diuersa: sed corpus penetratum habet negationem corporis interiecti: ergo esse præsens, non est tantum habere negationem corporis interiecti, vel certè esse intra aliud, est aliquid reale, quod vocabitur vbiatio. Deinde non potest in rerum natura dari noua vlla negatio, quin alicubi destruat aliquid posituum, quod antea erat; si enim illud posituum antea non erat, eius negatio erat; si autem erat, debet necessariò destrui, ut esse incipiat eius negatio: sed quando Petrus incipit esse hîc, nihil posituum destruitur: ergo non incipit aliqua noua negatio.

Hoc est argumentum, difficillimum, propter quod aduersarij contendunt admitti debere vbiationem & durationem distinctas modaliter à re locata & à re durante: sed hoc tamen ex disputatis in Logica & Metaphysica de natura relationum, & formalitatum commodè solui potest.

Resp. Itaque præsentiam localem esse in recto ipsam entitatem rei locatæ, prout affectam aliqua mutatione, vel intrinseca, vel extrinseca, & in obliquo spatium, ita ut forma per quam res constituitur in loco, sit quidem entitas rei locatæ, non tamen nudè sumpta, sed prout connotans mutationem aliquam, vel realem, vel virtualem; quæ mutatio est vel motus localis præuius, vel actio prodiens à tali determinatione diuinæ voluntatis seipsam determinantis ad agendum hîc potius quàm alibi; nunc, & non alio tempore.

D Ad argumentum itaque concedo rem locatam, Petrum v.g. nudè sumptam, & locum esse posse in rerum natura, quin Petrus sit in isto loco, sit simul, sit indistans, & alia huiusmodi, ut rectè probat argumentum; sed nego Petrum ut affectum præuia illa mutatione, vel intrinseca, vel extrinseca, & locum esse posse quin Petrus sit.

Instabis. Si Deus de nouo creet Petrum hîc, non apparet quam in eo fiat mutatio, per quam sit hîc potius quàm alibi; actio enim qua fit, esset eadem si Petrus esset alibi. Deinde quando Petrus est hîc, & non alibi, debet fuisse aliqua mutatio, quæ non esset si Petrus esset alibi; nam implicat ut sit noua denominatio, nisi sit aliqua noua mutatio in rerum natura: sed esset eadem entitas Petri, eadem entitas loci, eadem actio productiua Petri, eadem entitas voluntatis diuinæ: igitur debet reperiri aliqua mutatio. Denique quando Deus vult creare Petrum hîc, voluntas illa Dei habet pro obiecto Petrum esse hîc, sed non habet solum Petrum & locum, neque se ipsam habet pro obiecto: ergo Petrum creari, & esse hîc, non est Deum velle creare Petrum in hoc loco.

Resp. quod si Deus creet Petrum hîc, nihil quidem intrinsecum habebit Petrus, quod non haberet alibi creatus; posset enim entitas illius actionis fieri alibi, ut ostendam statim; sed connotabit aliquid extrinsecum, quod non connotaret alibi creatus, nimirum Deum.

Deum se determinantem ad creandum illum hic, & non alibi; esset enim eadem actio secundum entitatem, sed non prodiens à Deo volente agere hic. Si essem creatus alibi, esset eadem voluntas diuina realiter & entitatiue; sed virtualiter & connotatiue diuersa, quia connotaret diuersum locum. Denique concedo hanc maiorem; quando Deus vult creare Petrum hic, habet Dei voluntas pro obiecto Petrum esse hic, siue coexistentiam Petri, & talis loci; sed distingo minorem. Illa Dei voluntas non habet seipsam directe, ac formaliter pro obiecto, concedo; non habet aliquid pro obiecto à quo connotatur, nego. Cum enim Deus vult creare Petrum hic, obiectum diuinæ voluntatis est creatio Petri connotans talem locum & voluntatem diuinam ita determinatam.

Obiicitur secundò. Vbiunque datur nouus effectus formalis, datur necessariò aliqua noua causa formalis; & vbi manet eadem causa formalis, manet idem effectus formalis: sed esse hic, est effectus formalis nouus, qui non ponitur posita entitate Petri & loci, neque manet illà remanente: ergo præter entitatem Petri & loci, requiritur aliqua causa formalis, per quam Petrus denominetur esse hic.

Resp. distinguendo minorem; sed esse hic est effectus formalis nouus, qui non ponitur posita entitate Petri & loci nudè sumpta, concedo; qui non ponitur posita entitate Petri & loci cum illa mutatione præuiā, nego minorem; implicat enim vt ponatur entitas Petri & loci, & talis mutatio præuiā, quin ponatur præsentia Petri ad locum, sicut paternitas potest non esse, quamuis existat paternitas patris, & entitas filij; potuit enim hic filius produci ab alio patre: debet ergo præter illas entitates esse generatio, quæ sit ratio fundandi paternitatem. Sic esse potest entitas Petri, & entitas loci sine præsentia locali, præter quas exigitur aliqua mutatio in re locata.

Obiicitur tertio, debere dari fundamentum aliquod relationum propinquitatis & distantie; non apparere autem quodnam illud esse possit præter vbi. Deinde prædicamentum *vbi*, esse aliquod verum ens reale, quod non potest esse solus locus extrinsecus. Præterea esse hic non esse denominationem extrinsecam; nam ego intrinsecè sum hic, non extrinsecè. Denique omnem actionem habere debere terminum, motum autem localem non posse habere terminum alium præter vbi.

Resp. fundamentum relationum propinquitatis & distantie non esse aliud quàm entitatem ipsam rei locatæ prout effectam mutatione aliqua, vel intrinseca, vel extrinseca, non autem vbi. Deinde prædicamentum *vbi*, esse verum ens reale, sed connotatiuum, quod dicit in recto locum, in obliquo autem rem locatam, vel contrà; ideòque esse hic, non est denominatio solum extrinseca, sed vera connotatio. De termino motus localis dicitur statim.

S. II.

Vtrum detur aliquod vbi fluens distinctum à motu.

Dico secundò, nullum dari vbi fluens distinctum ab entitate motus localis, sed ipsummet motum in ratione fluxus esse vbi fluens. Ita docent Gregorius, Ferrariensis, Caietanus, & plures alij apud Vasquez 1. part. disp. 195. c. 2.

Ratio est, quia si vbi fluens distingueretur à mo-

Atu locali, propterea tantum distingueretur, quia deberet esse terminus motus localis in ratione fluxus, prout actio est: sed vbi fluens distinctum à motu non propterea est necessarium, quia debet esse terminus motus localis: ergo huiusmodi vbi fluens non est necessarium. Probatur minor. Ad hoc vt terminetur verum & reale fieri, sufficit vera & realis entitas, quæ per ipsum fiat: sed præter vbi fluens reperitur vera & realis entitas, quæ fiat per motum, quod probò: nam entitas motus vt sic, est vera & realis entitas: ergo illa debet habere verum & reale fieri: sed illud fieri non est aliud præter istam actionem: ergo hæc actio est verum fieri huius motus. Ne igitur quæras cuius rei fieri sit actio; sufficit enim quod sit fieri huius fluxus, seu motus localis.

BObiicitur primò. Omnis actio realis habet terminum distinctum, qui per ipsam fiat, hoc enim *diffur.* probatum est: motus localis est vera, & realis actio: ergo debet habere aliquem terminum, qui per ipsam fiat; ille autem non est nisi vbi fluens, nihil enim aliud distinguitur à motu, qui realiter actio est.

Resp. nullam quidem esse posse actionem, quæ non habeat aliquem terminum per ipsam productum; sed duo tamen genera sunt actionum, vnum earum, quarum primarius finis est tendere ad terminum; illæ non producant vllum terminum distinctum, sed tantum illum acquirunt. Alterum genus earum est actionum, quarum finis primarius est producere aliquid; illæ producant terminum distinctum, vt probatum est nuper: motus localis pertinet ad primum genus actionum, non ad secundum.

Obiicitur secundò. Si daretur motus localis in vacuo, deberet esse aliquis eius terminus; ille non esset locus extrinsecus: ergo esset vbi.

Resp. motum localem, qui fieret in vacuo, habere terminum intrinsecum, non quidem à se distinctum realiter, sed sola ratione: non haberet autem alium terminum, & tamen diceretur motus localis, quia quantum est ex se, aptus esset acquirere locum.

DEx quibus colliges primò, nihil esse posse in loco per realem vnionem cum ipso loco, quo modo ait Vasquez, Angelos esse præsentem loco, quia scilicet producant in se ipsis vbi, quod vnit illos cum loco, à quo sic dependet, vt nullum Angelus possit habere vbi, nisi per illud vnatur corpori, quod si poneretur supra cælum, ibi careret omni vbi. Ex quo etiam sequitur, quod si Angelus sit in naui, quæ currat, ipse tamen non mouebitur. Quæ omnia reiecta sunt in tractatu de Angelis.

Colliges secundò, falsum etiam esse, quòd aliquid esse possit in loco per propriam operationem, quod de Angelis asserunt Thomistæ: sed ostenditur in tractatu de Angelis, non esse probabile, quia prius est rem esse indistantem à loco, quàm in eo operari, sicut prius est rem esse in tempore, quàm operari in tempore: sed neque apparet, quid Angelus existens in cælo empyreo possit in eo operari.

SECTIO IV.

Quanam res, & quibus modis sint in loco.

Dixi, quid sit esse vbiatum, & præsens loco, nunc de modis quibus res est præsens locum tria breuiter dici possunt. Primò quot modis res sint in loco: secundò vtrum quidquid existit, sit

T 4 etiam

Secunda obiectio.

Tertia obiectio.

Affectio negatiua.

Probatio.

Prima obiectio.

Secunda obiectio.

Vnio Angeli cum loco.

Per operationem suam nihil est in loco.

etiam præfens loco: tertio vtrum possit etiam di-
uinitus aliquid nullibi esse.

§. I.

Quot modis res possint esse præfentes loco.

Triples mo-
dus essendi
in loco.

In loco primò, tribus modis essentialiter distin-
ctis res esse posse præfentes loco, immensè,
definitivè, circumscriptivè.

Ratio est, quia quicquid existit, vel est Deus, vel
spiritus, vel corpus: Deus est in loco immensè,
spiritus est definitivè, corpus circumscriptivè. Esse
in loco immensè Deus dicitur, quia omnibus re-
bus & spatiis præfens est intus, ac interminabili-
ter, intus replens, foris ambiens, sursum regens,
infra sustinens. *Si ascendero in cælum, illic est; si
descendero in infernum, adest.* Esse definitivè in lo-
co, est ita esse in spatio definito ac terminato, vt
totum sit in toto loco, & totum in qualibet parte
loci; sic enim Angelus & anima locum occupant:
anima tota corpus informat, & in extremo digi-
to tota est. Locus autem ille definitivus alius est
totalis, alius inadæquatus; locus Angeli, vel ani-
mæ adæquatus est, quem res exigit occupare secun-
dum suam naturam, non autem maiorem. Locus
inadæquatus est is, in quo licet totus sit Angelus,
vel anima, extra illum tamen est, & ita dicitur esse
in eo totus, non totaliter. Hic modus præfentia
localis proprius quidem spirituum est, vt dixi, quo-
rum nulla est pars, & tamen locum occupant diui-
sibilem, sed diuinitus tamen potest convenire cor-
pori, quod erit in puncto totum, & tamen millies
& millies replicatum erit in loco diuisibili, & ex-
tensum ad modum spirituum. Cuiusmodi est san-
ctissimum Christi corpus in Venerabili Sacramen-
to totum latens sub tota specie, & totum in singu-
lis eius partibus; nec diminutum in atomo, ne-
que in amplissima mole grandius; totum amans,
& totum amor; spiritus oris nostri, vt in vmbra
eius vivamus. Esse in loco circumscriptivè dicitur
locatum, quando ita continetur, vt sit totum in
toto loco, & singulas partes habeat in singulis
partibus loci, quo modo existunt in loco substan-
tiæ omnes corporeæ; spiritui autem contineri
non potest, quia supponit multitudinem partium,
quæ in spiritibus nulla sunt.

Præter tres illos modos existendi in loco, alia
dicuntur esse per se in loco, alia per accidens. Per
se dicitur esse in loco, quod non est per aliud, in
quo contineatur: huiusmodi est substantia corpo-
rea. Esse in loco per accidens, est esse in loco per
aliud, in quo includatur; sic enim accidentia quæ
inherent corpori, sunt in loco. Deinde alia di-
cuntur esse actu in loco, alia potentiâ. Actû est in
loco, quod actualiter est separatum ab eo, in quo
continetur, vt ignis dicitur actu esse in concauo
lunæ. Potentiâ dicitur esse in loco, quod non est
actu separatum ab eo, à quo proximè ambitur;
v.g. partes intus corporis non actu, sed potentiâ
sunt in loco.

§. II.

*Vtrum omnia sint in loco, & vtrum possit ali-
quid esse nullibi.*

Conclusio
affirmans.

In loco secundò, omnia quæ existunt, siue spiri-
tus sint, siue corpora, esse aliquo modo in
loco, saltem sumpto secundum communem sen-
sam vulgi.

A Primò enim accidentia (vt notavi) sunt in lo-
co, non per se, quia separata non sunt à substan-
tiis; sed verè tamen locum habent, quo ambiun-
tur aequè ac si essent per se à substantiis separata,
vt patet ex accidentibus Eucharisticis. Secundo
qualibet substantiæ corporeæ sublunares ambiun-
tur superficie aliqua, quod est etiam certum de sub-
stantiis spiritualibus; tametsi difficile sit dicere,
quomodo illæ carentes partibus coextendi possint
spatio diuisibili, & per quam formam coextendan-
tur. Tertio sphaera vltima cælestis secundum super-
ficiem convexam non potest esse in loco sumpto
Aristotelicè, sed est tamen in spatio illo, quod dixi
esse supra cælos. Quarto beati existentes in
cælo, & damnati in inferno locum habent, sanè
diversissimum; *vox enim Domini*, vt explicat Basi-
lius, *dividentis flammam ignis*; quia scilicet amicis
suis habitare Deus dat lucem, inimicis verò para-
vit habitaculum ardoris & caliginis: *Præparata
enim est ab heri topheeth, à rege præparata, profunda
& dilatata. Ibi videlicet habitabunt cadaveravivorum,
qui prævaricati sunt, quorum ignis non extinguatur,
& vermis non morietur.*

Dico tertio. Implicat rem aliquam esse absolute
nullibi, si esse nullibi significet in nullo esse loco
extrinseco, sumpto secundum communem sensum
vulgi; posse autem esse nullibi, si significet in
nullo esse loco sumpto philosophicè. Res ex dictis
videtur comperta, neque vlla eger probatione.

C Dico quartò. Si præfentia localis esset aliquod
vbi distinctum à re locata, non posset etiam diui-
nitus res creata spoliari omni modo præfentia, sic-
ut implicaret illam esse nullibi. Negant Vasquez
& Moncaus, putantes vbi angelicum esse vni-
onem Angeli cum loco reali, atque adeo putantes
posse Angelum esse nullibi.

Rationes Suarez efficaces sunt, supposita dislin-
ctione vocationis à re vbiata, quia primò ex ea
sententia omnis motus localis producit necessariò
vbi: Angelus positus supra cælos moveri posset
localiter: ergo haberet vbi. Deinde relatio non
potest esse sine suo fundamento: sed Angelus vbi-
cunque poneretur, esset præfens, vel distans ab
aliquo loco, & corpore; vel enim esset præfens
cælo, vel ab eo distans: ergo debet semper habere
fundamentum distantia huius & propinquitatis,
quod est internum vbi. Denique sicut non potest
aliquid creari à Deo, quin habeat durationem, ita
vt sit nunc; ita neque accipere potest existentiam,
quin accipiat vbiocationem, per quam sit alienubi.

Cum ergo quæritur, vtrum possit aliquid esse
nullibi, facilis responsio est; vel enim significatur,
vtrum aliquid carere possit omni loco extrinseco,
vel quæritur de vbi interno distincto: si primum,
nulla res potest esse nullibi absolute, quia est in
spatio, vel reali, vel imaginario: si secundum,
qua libet res nullibi est, quia ficticia est, vt dixi,
vbiatio distincta.

SECTIO V.

*Vtrum plura corpora esse possint simul in
eodem loco.*

DE solis corporibus potest esse quæstio, quia
spiritus se invicem & corpora pervadunt; im-
penetrabilitas autem solius quantitatis passio est;
vt autem illa explicetur accuratius, tria videntur
necessaria. Primò vtrum corpora naturaliter se mu-
tuo excludant ab eodem loco: secundò, vtrum
diuinitus esse possint simul: tertio, quod est diffi-
cilis,

cellius, quanam sit forma; per quam fiat quantitas impenetrabilis, siue quid sit actualis impenetrabilitas, aut penetrabilitas.

§. I.

Naturalis impossibilitas plurium corporum in eodem loco.

Conclusio
bimembris.

Dico primò, penetrationem corporum suum habentium naturalem modum existendi, esse naturaliter prorsus impossibile; si autem habeant corpora modum existendi spirituales diuinitus superadditum, tunc sine nouo miraculo posse illa existere simul in eodem loco.

Probatio
primae par-
tis.

Primae partis ratio est, quia id quod ex natura sua postulat habere partes extra partes in loco, postulat etiam ex natura sua non penetrari: quantitas ex sua natura postulat habere partes extra partes in loco: ergo quantitas ex natura sua postulat non penetrari. Maior evidens est, quia si partes rei alicuius sint extra partes, illae partes non sunt in eodem loco. Minorem etiam communiter omnes admittunt, quia hoc est proprium quantitatis, vt partes habeat extensas in loco diuisibili. Deinde id etiam probat experientia; sola enim ratio cur machine artis tantarum sint virium, est quia vnum corpus propter impenetrabilitatem extrahit aliud ab eodem loco, vt apparet in puluere tormentario, & bellicis tormentis.

Probatio
secundae
partis.

Secundae partis ratio est, quia v. g. Christi corpus in Sacramento Venerabili modum habens praesentiae proprium spirituum, ex vi extensionis illius sacramentalis priuatur impossibilitate alterius corporis in eodem loco, cum ex vi talis extensionis partes omnes sint in eodem loco: ergo supposito illo primo miraculo, potest illud corpus penetrare species sacramentales sine nouo miraculo.

Prima ob-
iectio.

Obiicitur primò. Si duae quantitates excludunt se mutuo ab eodem loco, debent esse contrariae: sed ex Aristotele quantitati nihil est contrarium: ergo duae quantitates non se mutuo expellunt. Deinde si vna quantitas aliam expelleret, vel id faceret in genere causae efficientis, vel in genere causae formalis; non primum, quia quantitas non est actiua; non secundum, quia existentia in loco non fit per informationem; & si vna quantitas formaliter alteram expellit, ne diuinitus quidem potest eam compati.

Resp. quantitates non esse contrarias inuicem, etiam si mutuo se expellant ab eodem loco, contraria enim illa dicuntur, quae ab eodem subiecto se excludunt essentialiter; quantitas autem aliam excludit in genere causae formalis: neque obstat quod esse in loco non fit informatio, satis enim est quod sit aliquid simile informationi. Quomodo autem diuinitus possit quantitas penetrari cum altera quantitate, patebit statim.

Secunda
obiectio.

Obiiciuntur secundò plures experientiae. Prima est, quod in cyatho cineribus pleno tantum aqua admittitur, quantum admitteretur si vacuum esset cyathus. Secunda, in cyathum aqua plenum plures possunt admitti nummi, teste Plinio lib. 2. cap. 62. Tertia panis imbuatur aqua, quae illum penetrat, & liquores corpora solida perineant: in ferro candenti reperitur ignis, in nutritione distribuitur alimentum per partes corporis cum penetratione.

Resp. per nullam ex his omnibus experientis inueni penetrationem. Ad primam enim de cyatho pleno cineribus, rectè Aristoteles responderi in problematis sect. 25. problemate 8. quod tunc mag-

Ana pars aquae, ac cinerum in tenues vapores soluitur, & locum aquae relinquit ingredienti. Addo quod tum aqua, tum cineres tunc valde condensantur, & sic coniunctum vtrumque non maiorem locum occupat, quam si solum esset. Secunda item experientia de nummis immixtis in cyathum aqua plenum nihil probat, quia patet ad oculum, aquam immixtis nummis super scyphi labia intumescere, causam verò cur non disfluat esse siccitatem labiorum scyphi, quam refugit humiditas aquae; unde si illa madescent, statim aqua disfluit. Tertia quoque de pane inutilis est, quia cum ille intingitur aqua, vel vino, non penetratur panis, sed in meatibus admittit liquorem, quod aliis etiam euenit corporibus solidis. In ferro candenti, si est ignis, later omnino in poris ferri. In nutritione non est vlla etiam penetratio, cum per corporis partes ducti sint canales quidem, tum maiores, tum minores, quibus dispensatur praeparatus cibus, & conuertitur in viuens.

§. II.

An, & quomodo diuinitus esse possint simul.

Dico secundò posse diuinitus dari penetrationem duorum corporum seruantium suam extensionem naturalem. Ita docent Catholici omnes contra Sectarios nostri temporis, quibus non sine temeritate fauisse videtur Durandus.

Conclusio
affirmans.

C Primò enim sic ex variis Fidei mysteriis planè sequitur. Primum est, quod Maria Sacrarium facta diuinitatis, & magni Regis thalamus, Christum illa peperit, nulla labe accepta puritatis, clausa manente porta orientali templi in honorem Principis per eam transeuntis, vt sepissime docent Patres. Nazianzenus in carmine de illa, Basilii orat. de Christi generat. Athanasius orat. de Annunciat. Secundum est quod Christus nondum reuoluto lapide sepulchri, victor exiit è tumulo. Tertium quod ad discipulos ianuis clausis penetravit. Quartum, quod ascendens in caelum, non illud diuinitus, sed permeauit cum penetratione. Quae verò aduersarij excogitauerint ad haec explicanda, pudet vel cogitare; audent enim impij Matris Dei pudori contumeliam inferre: volunt Christum venisse ad discipulos per caminum, vel per angustum foramen, quod admittuntur feles, aut catelli, vel emollitum esse parietem ad tempus instar butyri.

Mysteria
fidei ex qui-
bus proba-
tur.

D Deinde probatur, quia extensio situalis, ex qua oritur impenetrabilitas, non minus est intrinseca quantitati, quam ipsa impenetrabilitas: sed extensio situalis est separabilis à quantitate, quod patet primum ex mysterio Eucharistiae, deinde patet ex rarefactione ac condensatione, in quibus certum est mutari extensionem localem, atque aded illam esse modum quantitati superadditum, cum mutatur immutata manente quantitate: ergo etiam impenetrabilitas est separabilis à quantitate.

Ratio.

E Obiicitur primò. Implicat vt aliquid sit sine sua essentia: sed impenetrabilitas est ipsa essentia quantitatis, cum habere partes extra partes essentialiter conueniat quantitati, quod est esse impenetrabile: ergo quantitas esse non potest sine impenetrabilitate actuali.

Prima ob-
iectio.

Resp. constare omnino ex disputatione praecedenti, quod impenetrabilitas quidem aptitudinalis est essentia quantitatis, impenetrabilitas verò actualis non est illi essentialis.

Obiicitur secundò. Duae partes quantitatis permanentis non minus sunt impossibiles, quam duae

Secunda
obiectio.

duæ partes quantitatis successivæ: sed nulla vi, A
etiam diuina, possunt duæ partes quantitatis suc-
cessivæ esse simul in eodem instanti: ergo nulla vi
possunt esse in eodem spatio duæ partes quantitatis
permanentis.

Resp. negando paritatem, quia tempus cum sit
successivum essentialiter, habet partes priores &
posteriores; hoc enim est esse successivum: quan-
titas verò permanens non est essentialiter expulsiua
quantitatis alterius ab eodem loco.

Tertia ob-
iectio.

Obiicitur tertio: si actualis impenetrabilitas se-
parari posset à quantitate, illa deberet necessariò
esse aliquid superadditum quantitati, & modus ab
ea distinctus; sicut extensio est aliquid ab ea distin-
ctum, & substantia est modus distinctus à sub-
stantia. Consequens autem illud absurdum vide-
tur: ergo non est separabilis.

Ad hoc dubium, in quo tota difficultas est, vt
respondeatur, explicandum est, quomodo Deus
faciat vt duo corpora, quæ habent naturaliter in-
compossibilitatem in eodem loco, incipiant se si-
mul compari, neque amplius se inuicem exclu-
dant, quod sanè video explicari difficile posse, quia
certum est, vt probavi, quod formaliter, non au-
tem efficienter duæ quantitates se mutuo exclu-
dant ab eodem loco, sicut duæ formæ se mutuo
expellunt ab eadem materia; manente autem cau-
sa formali in subiecto, ponitur necessariò effectus
formalis. Hæc, inquam, difficultas vt solui possit,
videndum est accuratius.

§. III.

*Quid illud sit, per quod quantitas ex impen-
etrabili sit penetrabilis actu.*

Conclusio
negans mo-
dum impen-
etrabili-
tatis.

Dico tertio, actualement impenetrabilitatem non
esse modum quantitati superadditum, sed esse
ipsammet entitatem quantitatis, quatenus produ-
citur per actionem procedentem à Deo vt agente
naturaliter; penetrabilitatem verò actualement esse
ipsam entitatem quantitatis, quatenus connotat
actionem Dei supernaturaliter agentis.

Deum naturaliter agere, non est aliud, quam
Deum agere ex decreto ordinario conformi naturis
rerum; supernaturaliter agere Deum, est agere per
decretum extraordinarium, & contrarium naturis
rerum; quod totum satis constare potest ex dictis
de impossibilitate duarum formarum. Ex qua
doctrina duplex eruitur ratio conclusionis.

Prima
ratio.

Prima est, quia impossibilitas duarum quan-
titarum in eodem loco non magis debet esse distin-
cta à quantitate, quam impossibilitas duarum
formarum in eodem subiecto ab ipsa forma: sed
impossibilitas duarum formarum in eodem sub-
iecto non est modus illis formis superadditus, sed
(vt dixi) est entitas formæ provt procedit à Deo
agente naturaliter: ergo impossibilitas duarum
quantitarum in eodem loco non est modus super-
additus quantitati: hæc autem impossibilitas
est impenetrabilitas. Probatur maior, quia incom-
possibilitas non minùs separatur actu à forma,
quam à quantitate, & iisdem argumentis quibus
probatur impenetrabilitatem esse distinctam à
quantitate, probatur etiam distinctam esse incom-
possibilitatem à forma.

Dices esse disparitatem inter formas & quantita-
tem, quia formæ non habent impossibilitatem
ratione sui, sed ratione subiecti, quantitates autem
sunt impossibiles ratione sui, quoniam debet
esse aliquid ab eis aufert, vt fiant compossibiles.

Sed contra, quia incapacitas actualis formarum
ratione subiecti, tam est aliquid separabile à for-
mis, quæ diuinitus esse possunt simul in eodem
subiecto, quam impossibilitas quantitatis: ergo
illa impossibilitas tam distinguitur à formis,
quam impenetrabilitas distinguitur à quantitate.

Altera
ratio.

Secunda est, quia impenetratio actualis est for-
maliter aliquid negatiuum, est enim carentia præ-
sentia localis cum alia quantitate: ergo illa ca-
rentia non potest esse modus, sed in recto est quan-
titas provt connotat talem negationem in obli-
quo. Adde quod sine vlla ratione fingitur hic ali-
quis modus, quia quantitas per suam entitatem
excludit aliam quantitatem ab eodem loco, non
autem per modum superadditum.

Obiicitur primò. Posita causâ formali ponitur
necessariò effectus formalis: sed entitas ipsa quan-
titatis est causâ formalis expellens aliam quantita-
tem ab eodem loco: ergo posita entitate quantita-
tis ponitur effectus eius formalis, scilicet expulsio
quantitatis ab eodem loco. Prima ob-
iectio.

Resp. ex dictis 1. *disputat.* de impossibilitate
formarum, distinguendo maiorem: entitas quan-
titatis est causâ formalis expellens ab eodem loco
aliam quantitatem, entitas quantitatis sola, nego;
entitas quantitatis producta per actionem omni-
potentiæ purè naturalem, concedo; producta per
actionem supernaturalem, nego.

Obiicitur secundò. Impenetrabilitas separatur à
quantitate: ergo est aliquid ab ea distinctum. Ne-
que recurrere licet ad diuinum imperium, vel ad
actum primum potentior; nam diuinum impe-
rium, non est causâ formalis huius effectus for-
malis: actus autem primus potentior nihil nouum
ponit in re, nisi per actum secundum, actus se-
cundus idem est, qui prius: ergo nihil ponitur no-
uum, quod non esset ante.

Resp. impenetrabilitatem separari posse à quan-
titate secundum id quod dicit in obliquo, non se-
cundum id quod dicit in recto. Actus primus po-
tentior, & diuinum imperium in obliquo tantum
connotantur; non sunt autem forma per quam
quantitas vna expellit aliam ab eodem loco.

Obiicitur tertio. Extensio actualis est aliquis
modus distinctus à quantitate: ergo actualis etiam
impenetratio est modus distinctus. Probatur con-
sequenter: idè extensio est modus distinctus, quia
potest separari à quantitate; posset autem dici
quod non separatur nisi secundum connotationem.
Deinde corpus gloriosum per dotem subtili-
tatis sit penetrabile cum alia quantitate; hæc au-
tem dos gloriosa non videtur esse sola quantitas,
provt à Deo agente supernaturaliter. Tertia ob-
iectio.

Resp. extensionem localem esse modum distin-
ctum à quantitate, quia videlicet extensio illa est
terminus productus per veram actionem realem,
qua corpus rarefit, aut condensatur: videmus enim
murari extensionem sine vllò miraculo. Deinde in
Venerabili Sacramento tollitur omnino à Christi
corpore tota extensio quantitatiua, cum totus
Christus in puncto sit. Denique impenetratio
actualis est aliquid negatiuum; extensio autem est
aliquid positium, quod exigit vt entitas prius in-
extensa fiat extensa. De dote subtilitatis disputant
Theologi, quid illa sit: mihi sanè prima secundæ
visum est, illam nihil esse positium corpori reali-
ter superadditum, sed solam quantitatem cum con-
notatione diuini decreti, & omnipotentia agen-
tis supernaturaliter.

SECTIO VI.

Utrum possit aliquid esse simul in pluribus locis.

Dixi quomodo possint plura corpora simul esse in eodem loco, nunc celeberrima quæstio est, quomodo possit vnum & idem corpus plura occupare loca; hæc enim duo sunt in Sacramento amoris planè mirabilia, in quo Christi corpus penetratur cum speciebus, & in locis innumeris replicatur, ut ostendebam fusiùs tertia parte: nunc ut de quæstione hac philosophica pro instituto dicam, quatuor breuiter quarti posse video. Primò, utrum absolute possit diuinitus aliquid esse in locis pluribus: secundò, utrum possit aliquid occupare plura loca circumscriptione: tertio, utrum res eo modo replicata sit susceptiua contrariorum: quarto per quam actionem corpus poni possit in pluribus locis.

§. I.

Utrum possit aliquid esse aliquo modo replicatum in locis pluribus.

Certum est primò, esse prorsus impossibile naturaliter, ut aliquid sit in locis pluribus adequatis. Ratio est, quia locus appellatur adequatus, maximus quem aliqua res occupare potest naturaliter: ergo naturaliter res esse potest extra suum locum adequatum: alioqui locus ille, quem res occupant, esset maior maximo.

Certum est secundò, posse aliquid naturaliter esse in pluribus locis inadequatis continuis, non autem in pluribus locis inadequatis discretis; Angelus enim & anima, tametsi sint indiuisibiles, locum tamen occupant diuisibilem; quod fieri non potest sine innumeris replicationibus; qualibet enim pars spatij est locus inadequatus Angeli & anime. Quod autem naturaliter neque Angelus, neque anima possint occupare plura loca distantia etiam inadequata, non est facile probare, ut notabam olim: videtur autem bona esse ratio, quia non potest occupari nouus locus distans à priore loco, nisi per motum localem: sed per motum localem debet deferri prior locus: ergo Angelus non potest acquirere nouum locum, quin deferat priorem locum. His positis.

Dico primò, posse per diuinam potentiam aliquid esse simul in pluribus locis totalibus, tum distantibus, tum continuis. Ita tenent constantissime omnes Orthodoxi, quibus certum est, mentitum non esse Christum, neque illudere hominibus voluisse, quando in finem diligens suos, constituit se totum sub speciebus Eucharistiæ, portans seipsum in manibus suis.

Probant autem veritatem hanc certissimam Catholici Doctores innumeris argumentis, quæ alibi recensui; nunc triplex mihi ratio satis erit. Prima sit. Naturaliter anima & Angelus occupare possunt plura loca inadequata, & in illis replicari: ergo supernaturaliter potest aliquid plura occupare loca totalia, & in illis replicari. Probatur consequentia, quia nulla est excogitabilis implicantia, quæ prober implicare replicationem in locis adequatis, quæ non prober implicare replicationem in pluribus locis inadequatis; quando enim mouetur manus quiescente capite, mouetur & quiescit anima: manus vna moueri potest sursum, altera deorsum.

A Secunda ratio sit. Potest Deus rem eandem facius reproducere: ergo potest eam ponere in pluribus locis adequatis; si enim reproducat eam in diuersis locis, certe illam etiam replicabit.

Secunda ratio.

Tertia sit, quia nec ex parte Dei, nec ex parte corporis, nec ex parte loci repugnat ut idem corpus ponatur in pluribus locis; Deus enim omnipotens est; corpus semel productum capax est operationis productionis; locus adequatus non est is qui simpliciter est maximus, sed maximus quem occuparet potest naturaliter: nulla igitur ex parte implicat illa replicatio.

Tertia ratio.

B Obiicitur primò. Implicat aliquid esse vnum, & non vnum: corpus eo modo replicatum, esset vnum, ut supponitur, & non vnum; quia illud non est vnum, quod non est indiuisum in se: istud corpus non esset indiuisum in se, cum potius esset diuisum: ergo illud corpus non esset vnum. Deinde implicat aliquid auelli, distrahi, distare à se ipso: corpus autem illud auelleretur, distraheretur, distaret à se ipso; nam hoc nihil est aliud nisi esse in loco distante; relatio autem distantia cum sit relatio realis, est ad terminum distinctum à fundamento.

Prima obiectio.

Resp. corpus replicatum esse reuera vnum, & indiuisum in se, quamuis sit diuisum à se. Indiuisum in se illud est, cuius tota entitas est indiuisa, ita ut vna eius pars diuisa non sit ab aliis partibus. Indiuisum à se illud est, cuius totalitas non est in pluribus locis discretis. Corpus igitur replicatum esset indiuisum entitatiue, non esset indiuisum localiter. Similiter potest aliquid localiter auelli, distrahi, distare à se ipso; entitatiue non potest. Relatio distantia habet terminum distinctum virtualiter, corpus enim replicatum æquiualeat pluribus propter reproductionem.

C Obiicitur secundò. Implicat ut aliquid sit extra suos terminos, alioqui enim illi essent, & non essent termini: sed si esset extra terminos loci adequati, esset extra suos terminos; termini enim rei locatæ simul sunt cum terminis loci adequati, quia quod loco definitur, aut circumferibitur, habet suos terminos cum terminis loci: ergo implicat ut sit extra terminos loci adequati.

Secunda obiectio.

D Respondeo rem illam, quæ virtualiter est multiplex (cuiusmodi est res replicata) esse posse extra suos terminos; neque sequitur illos esse terminos simul, & non esse terminos, quia termini rei locatæ, quæ multiplex est virtualiter, non sunt simul cum terminis loci.

Obiicitur tertio. Sequeretur eundem locum esse adequatum, & non esse adequatum; locus enim adequatus est is, in quo res non solum est tota, sed etiam totaliter, idest, id quo ita res est, ut non sit extra illum: ergo non potest aliqua res esse in pluribus locis adequatis. Probatur antecedens. Ideò digitus est locus solum inadequatus anime, quia licet anima sit tota in digito, est tamen extra digitum: ergo ut aliquid sit in loco adequato, necesse est ut non sit extra illum.

Tertia obiectio.

E Resp. locum adequatum non eum appellari extra quem res non est, sed eum extra quem res existens naturaliter non est, seu maximum, quem res occupare potest naturaliter: v. g. si Angelus occupare potest locum leucalem, leuca est eius locus adequatus, semileuca locus inadequatus.

S. II.

Virum etiam circumscriptione possit aliquod corpus esse in pluribus locis.

Conclusio
affirmativa.

Dico primò. Potest per diuinam potentiam aliquid esse circumscriptione in pluribus locis adæquatis. Ita docent Suarez, Bellarminus, Valentia; contra Vasquez & alios plures, quos citat.

Prima probatio.

Ratio est primò, quia est de fide Christum habentem in cælo præsentiam naturalem, habere in hostia præsentiam sacramentalem: ergo multò magis habere posset præsentiam naturalem circumscriptionem. Probatur consequentia, quia præsentia sacramentalis est supernaturalis; præsentia verò circumscriptionem, esset naturalis: sed facilius est habere præsentiam naturalem, quam præsentiam supernaturalem: ergo Christus existens in cælo circumscriptionem, facilius existeret posset in terris circumscriptionem, quam definitiue: quis autem sibi persuadeat esse impossibile, ut Deus destruat in Sacramento modum præsentia supernaturalis, relicto tamen ibi Christo? Confirmari autem potest, quia Christus dum apparuit Paulo, fuit sine dubio in loco circumscriptionem, habuitque in eodem tempore præsentiam connaturalem in cælo: ergo fuit simul circumscriptionem in pluribus locis. Plures huiusmodi apparitiones dabant Thyraus lib. 2. de appar. cap. 8. Suarez tom. 3. in 3. part. disputat. 48. sect. 4.

Secunda probatio.

Secundò. Si repugnaret corpus aliquod esse circumscriptionem in pluribus locis, vel per deberet repugnancia ex formali ratione quantitatis, vel ex propria ratione præsentia circumscriptionem: non implicat ex propria ratione quantitatis, quia illa est tantum extensio localis impenetrabilis, quæ non tollitur per duplicem præsentiam circumscriptionem: neque repugnat ex parte circumscriptionem, quia esse in loco circumscriptionem, non dicit aliud, quam habere totum in toto loco, & singulas partes in singulis partibus loci, siue in vno loco, siue in pluribus: neque negat locatum esse extra illum locum, sed tantum negat, locum esse capacem alterius corporis. Probatur manifestè, quia si esse in loco circumscriptionem, diceret ita esse in loco ut non sit extra, sequeretur illud quod est in vno loco circumscriptionem, non posse esse definitiue extra illum locum; quod enim est in vno loco circumscriptionem, in alio autem definitiue, est extra illum locum ubi est circumscriptionem.

Prima obiectio.

Obiicitur primò. Implicat aliquid communurari loco, & non communurari: si aliquid esset in pluribus locis circumscriptionem, communuraretur loco, & non communuraretur, quia esse in loco circumscriptionem, est communurari loco; locus enim est æqualis locato: sed quod est in pluribus locis, non communuratur vni loco, cum sit extra illum, & communuratur pluribus: ergo communuratur loco, & non communuratur. Confirmatur, quia circumscribi spatio, est non esse extra spatium: ergo si sit in pluribus locis circumscriptionem, erit extra spatium, & non erit.

Resp. corpus illud, quod est in pluribus locis circumscriptionem, æquale esse tum vni loco, tum pluribus locis: vni loco est æquale, quia æqualem habet extensionem quantitativam; est autem æquale pluribus, quia est multiplex virtualiter. Non repugnat autem aliquid vni loco adæquari, & non adæquari sub diuersa ratione. Ad confirmationem

A negatur, quod circumscribi spatio est non esse extra illud, alioqui non posset aliquid esse definitiue in loco.

Obiicitur secundò. Effectus formalis vnius forme non potest crescere non crescente forma: sed effectus formalis circumscriptionem, est effectus formalis quantitatis: ergo non potest crescere, quantitate non crescente; cresceret autem effectus ille formalis, si corpus esset circumscriptionem in locis pluribus. Confirmatur, quia sequeretur, quod si corpus sibi occurreret, se ipsum excluderet ab eodem loco.

Resp. distinguendo maiorem; effectus formalis non potest crescere, nisi forma crescat, vel realiter, vel virtualiter, concedo; sapius autem in hac materia reperendum est, quantitatem dum replicatur, multiplicari virtualiter propter reproductionem, per quam res prius vna idem facit quod plures. Et hæc est causa, ob quam corpus quod sibi occurreret, excluderet se ab eodem loco, æquè ac excluderet aliud corpus.

Obiicitur tertio, sequi quoddam idem corpus susceptivum esset contrarium, non solum eorum quæ respectiva sunt, & pendunt a loco, qualia sunt moveri, & quiescere; ire sursum, & deorsum: sed etiam eorum quæ sunt absoluta, & a loco non dependent, qualia sunt esse frigidum & calidum, vivere & mori, esse in peccato & gratia: hoc autem absurdum est. Ut solvatur hæc dubitatio, quæ totius huius materie præcipua est, videndum est paulò fusiùs.

S. III.

Virum corpus replicatum in pluribus locis suscipere posset contraria.

Dico tertio, posse corpus aliquod replicatum sine nouo miraculo suscipere accidentia posita contraria, tum respectiva, tum absoluta, æquè ac si realiter esset multiplex. Ita video multos docere Recentiores: Vasquez autem absolute negat corpus ob replicationem susceptivum esse vllorum contrariorum. Hurtadus, & Ariaga fatentur corpus illud suscipere posse contraria negatiua, esse album & non album, moveri & quiescere. Suarez concedit de contrariis positivis respectivis, negat de absolutis, esse album & nigrum. Ego de omnibus contrariis verum esse arbitror.

Ratio est, quia corpus replicatum, si est multiplex virtualiter, id est si æquivalat pluribus corporibus, suscipere potest accidentia quælibet opposita; esse autem æquivalenter multiplex.

Primò probatur, quia si corpus replicatum non esset multiplex æquivalenter, suscipere non posset contraria respectiva, v. g. moveri sursum in vno loco, & in alio moveri deorsum; moveri & quiescere: sed certum est, quod posset corpus replicatum suscipere accidentia contraria respectiva, nam sanctissimum Christi corpus in Eucharistia movetur in vno loco sursum, in alio deorsum; in cælo ambulat, in terris quiescit: ergo posset similiter aliud quodlibet corpus stare in vno loco, sedere in altero, in vno cadere, in altero sursum elevari. Confirmatur facili argumento: constituatur corpus replicatum super duas asseris extremitates in medio aëris, deinde inuertatur asser; certè illud corpus in vno extremo ascenderet, in altero descenderet. Deinde corpus replicatum Lugduni & Parisiis erit mihi vicinum existenti Lugduni, & remotum simul: & quis neget Christum ut existentem in cælo,

ecelo, distare à nobis; esse proximum propter latet in Sacramento. Ergo contraria respectiva conveniunt rei replicata. Quod etiam patet in anima rationali, quæ in locis existens in adequatis, in vna manu mouetur sursum; in altera deorsum.

Contraria
privatiua.

Secundò, Illud corpus esset multiplex virtualiter, si posset suscipere contraria privatiue opposita, idest esse album in vno loco, in alio loco non album: in vno moueri, in altero quiescere: sed corpus replicatum posset suscipere contraria privatiua: ergo esset multiplex virtualiter. Minor probatur: quando corpus aliquod replicatur Lugduni & Parisiis, non necessarìò replicantur accidentia omnia, quæ habet: ergo corpus habere potest calorem Parisiis, quem non habebit Lugduni. Probo antecedens. Quoties duo aliqua distinguuntur realiter, vno reproducto non est necesse reproduci aliud: sed corpus existens Lugduni distinguitur à calore, quem ibi recipit: ergo reproducto corpore non necessarìò reproducitur calor. Deinde Christus in celo extensionem habet circumscriptiuam, quam in Sacramento non habet: ergo accidens quod habetur in vno loco, non habetur in altero loco. Anima in capite habet intellectiōnem, quam non habet in pede. Petrus existens Parisiis multa videret, quæ non videret Lugduni. Et si eum ignis Parisiis exureret, certe non exureret Lugduni, alioqui ageret in distans.

Vivere &
non viuere.

Tertiò probo posse vnum corpus in vno loco mori, viuere in alio; quia tunc aliquis moritur, quando desinit actio per quam conseruabatur: sed actio, quæ Petrus replicatus conseruabatur in vno loco, desinere potest, non desinente actione qua conseruabatur in alio loco, sicut manifestum est actionem, quæ Christus in Sacramento reproducitur, desinere, non desinente actione, quæ est in celo, tamen non moriatur etiam ibi Christus, vt probabam tertia parte: ergo potest in vno loco mori, & in alio viuere. Similiter Probatur quod suppa calefieri simul potest, & frigeferi; si enim Parisiis conseruatur in ignem, Lugduni verò ponatur in aqua gelida; tunc Lugduni suppa non comburetur, alioqui produceretur ignis intra gelu; sed neque frigeferet Parisiis, alioqui congelabitur ignis: ergo necesse est vt illa vratur Parisiis, frigeferet Lugduni. Denique poterit eandem ob causam Petrus amare in vno loco, in altero odisse; assentiri, & dissentiri; scire, & errare.

Prima ob-
iectio.

Obiicitur primò. Ideò tantum Petrus incapax est recipiendi frigus & calorem in vno loco, quia illa sunt contraria, & ipse non habet in se virtutem ad illa recipienda sufficientem: sed per duas vbicationes non tollitur contrarietas caloris & frigoris, neque augetur virtus Petri; vbicatio enim non est virtus, aut ratio formalis ad recipiendum calorem: ergo ex eo quod aliquid habeat plures vbicationes, non habet maiorem virtutem ad recipiendum. Confirmatur. Sicut quia color non est virtus recipiendi calorem, quamuis aliquis infinitum haberet colorem, non fieret potentior ad recipiendum maiorem calorem: ergo similiter, &c.

Resp. corpus non replicari per solam multiplicationem vbicationum, sed per reproductionem in pluribus locis factam, per quam corpus redditur multiplex virtualiter; vnde totum corrumpitur argumentum, & eius confirmatio.

Secunda
obiectio.

Obiicitur secundò, ad hoc vt Petrus moriatur

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A Parisiis, non sufficit quod entitas eius esse designat Parisiis, sed requiritur vt non existat amplius in rerum natura, alioqui quoties aliquis deserit Parisios, diceretur mori: sed quod non existit amplius in rerum natura, non potest esse alicubi: ergo implicat vt Petrus moriatur Parisiis, & viuatur Lugduni.

Resp. negando maiorem; ad hoc enim vt Petrus moriatur Parisiis, requiritur vt non existat amplius in rerum natura. Verum quidem est, non sufficere vt designat esse Parisiis per solam designationem vbicationis Parisiensis, sed sufficit vt designat esse Parisiis per designationem actionis, quæ producebatur Parisiis. Posset igitur Petrus mori Parisiis, & viuere Lugduni, quia posset desinere actio, quæ producebatur Parisiis, non desinente actione, quæ reproducitur Lugduni. Et hæc est ratio propter quam Angelus occupans plura loca inadæquata non potest peccare in vno, in altero esse in gratia; scire & errare, assentiri & dissentiri; quia scilicet non simpliciter æquiualeat pluribus, sicut id quod est reproductum & replicatum in pluribus locis adæquatis.

Obiicitur tertiò. Non possunt de vna & eadem re verificari contradictoria; esse album & non album; viuere & non viuere; esse amicum Dei, & non esse Dei amicum, quæ sunt contradictoria: ergo non possunt de eadem re verificari. Deinde sicut generario dicit simpliciter rem esse, sic corruptio dicit simpliciter rem non esse.

Tertia ob-
iectio.

Resp. contradictoria vocari ea quæ conueniunt eidem ratione eiusdem; quæ autem conueniunt ratione diuersorum locorum, & ratione diuersæ productionis, non esse contradictoria: huiusmodi sunt ista quæ conueniunt corpori replicato, est enim, vt dixi, multiplex virtualiter. Licet ergo de illo dicere, *Viuat, & moriatur*; non licet dicere, *Viuat, & non viuat*; quia negationes sunt malignantis naturæ, cum enim dico, *Non viuat*, significatur nullibi viuere.

Obiicitur quartò, ea quæ non pendunt à loco, sed absolute conueniunt subiecto, debent ei conuenire in quocumque loco sit illud subiectum: accidentia quæ dicuntur absoluta, non pendunt à loco: ergo conueniunt illi vbicunque sit. Confirmatur, quia id quod non est in loco per se, sed tantum per aliud, debet necessarìò esse vbicunque est aliud; accidentia non sunt in loco per se, sed per subiectum: ergo sunt vbicunque est subiectum. Potestque confirmari argumento Theologico, quia quando corpus Christi ponitur sub speciebus ex vi verborum sacramentalium, ponuntur etiam per concomitantiam accidentia omnia, quæ impossibilitatem non habent cum statu sacramentali: ergo signum est, quod replicato subiecto replicantur accidentia: ergo subiectum non potest esse album in vno loco, nigrum autem in altero loco.

Quarta ob-
iectio.

E Resp. distinguendo primam minorem. Accidentia, quæ dicuntur absoluta, non pendunt à loco; si enim sensus sit, quod accidentia illa possunt esse in subiecto in quocumque loco illud sit, vera est propositio: si verò sensus sit quod accidentia non ex gunt præsentiam localem proportionatam potentie subiecti, vt illi inhæreant, sic falsa est, quia priusquam accidens sit in pluribus illis locis vna cum corpore replicato, necesse est vt prius replicetur; & sic duas habeat præsentias locales ad duo loca, alioqui non vnietur subiecto, nisi in vno loco.

V

Ad

Ad confirmationem negatur illa maior. Id quod non est in loco per se, sed per aliud, esse necessarium debet ubi est aliud; nam tamen accidens in loco sit ratione subiecti, cui inhaeret, non sequitur tamen necessarium, quod sit ubicunque est subiectum: quod etiam patet ex praesentia circumscriptione, quam Christus in caelo habet, non autem in Sacramento. Verum quidem est, quod replicato corpore connaturaliter etiam replicantur accidentia, quae sunt in corpore ante replicationem; sicut certum est multa in Sacramento poni per concomitantiam, quae Christi corpus in caelo habet: sed posset tamen, si Deus vellet, vnum replicare sine alio. Quae verò post factam replicationem ponentur in corpore, certe non necessario ponentur ubicunque est illud corpus replicatum; potest enim accidens vnum habere in vno loco, & aliud accidens in altero.

§. IV.

Virum actio, qua replicatur aliquod corpus, sit adductio, an reproductio.

Assertio.

Dico quartò, esse prorsus impossibile ut corpus ponatur in pluribus locis per solam adductionem, id est per solam productionem nouae vocationis; sed necessariam esse reproductioem. Ita docebam in tractatu de Eucharistia cum Suarez, Lessio, Pesantio, Conink, contra Vasquem, Valentiam, Albertinum, Fonssecam.

Ratio autem est, quia adductio neque possibilis villo modo est, neque sufficiens ad replicationem: reproductio autem & est sine dubio possibilis, & sufficiens ad constituendum corpus in pluribus locis. Quae omnia sigillatim probabo.

Impossibilitas adductionis.

Primo probatur quod impossibilis sit actio illa, quae vocari solet adductio, id est, actio per quam in aliquo corpore quod habet iam vnum ubi in vno loco, produciatur aliud ubi, per quod incipit esse in altero loco, non deferendo priorem locum. Probatur, inquam, quia ostensum superius est, nullam dari vocationem huiusmodi distinctam à re vbicata. Deinde dato etiam, quod admitendum esset aliquod ubi distinctum, implicaret ut corpus per eius productionem in pluribus sisteretur locis; nam quando corpus existens Romae replicatur Lugduni, illud ubi, per quod ponitur Lugduni, non produciatur Romae, sed Lugduni: sed non potest illud corpus produci Lugduni, quin supponat corpus adductum Lugdunum: ergo adductio supponeret factam replicationem. Probatur minor. Causa materialis prior necessario est suo effectu: sed Petrus ut existens Lugduni, non autem prout existens Romae, causa est materialis illius ubi: ergo prius est existens Lugduni, quam habeat ubi. Confirmatur, quia in illo priori, quo illud ubi antecedit Petrum ut existentem Lugduni, Petrus est tantum Romae: ergo in illo priori, vel ubi est sine subiecto, vel certe illud ubi est Romae. Denique si posset Deus Petrum, qui est Romae, replicare Lugduni, producendo ubi, posset facere ut Petrus existens Romae, desineret esse Romae, tollendo ab eo ubi; & inciperet esse Lugduni per solam productionem ubi, sine villo transitu per medium; quod absurdum est.

Eius insufficiencia.

Secundò, quod adductio sit insufficiens ad replicationem, probatur, quia illud est insufficiens ad replicationem, quo posito corpus non potest villo modo moueri: sed posita sola adductione, corpus replicatum moueri nullo modo posset sine mira-

Aculo; nam postquam Petrus existens Romae accipit ubi Lugdunense, si de nouo moueatur, amittere ubi Lugdunense acceptum à Deo, & acquirere aliud ubi diuersum à primo, quod erit etiam miraculosum: ergo per vires naturales hominis non poterit illud acquirere. Præterea si ad replicationem alicuius corporis in pluribus locis adequatis sufficeret multiplex ubi, sufficeret etiam ad replicationem in pluribus locis inadæquatis: Angelus v.g. esset coextensus loco diuisibili per solam vocationem, & anima similiter non aliter coextensa esset corpori; quae tamen vulgò improbantur. Denique illud non sufficit ad replicationem, quo posito, corpus replicatum non est multiplex virtualiter, neque suscipere potest contraria; per solum autem ubi corpus non fit multiplex virtualiter, quia multiplicitas accidentis non facit ut aliquid virtualiter sit multa, & per solum ubi corpus non accipit vllam maiorem virtutem ad recipiendam accidentia.

B Tertiò, quod reproductio rei iam existentis sit possibilis, & sufficiat ad replicationem, euidentius est, quia potest idem effectus produci à pluribus causis totalibus: ergo nihil veniat, ut ab eadem causa totali, causis innumeris æquiualente, producantur per plures actiones totales, siue in vno loco, siue in pluribus locis; quælibet enim actio suam habet locum determinatum in quo ponatur, nec est necesse illam poni ubicunque est actio. Si ergo corpus aliquod in pluribus locis reproducatur, erit sine dubio replicatum, & suscipere poterit contraria.

Scio multa, & difficilia contra reproductioem hanc posse opponi, quae quia magis spectant ad praesentiam Christi corporis in Eucharistia, fusè dicta sunt in proprio tractatu de hoc Sacramento.

QVÆSTIO II.

De vacuo.

Aristot. 4. Physic. à textu 57.

DE spatio inani, quod est supra caelos, nuper dictum est occasione loci; nunc de illo quod intra caeli ambitum excogitari posset, tria ponenda sunt cum Philosopho: primo, utrum sit, vel naturali aliqua virtute possit aliquod esse vacuum: secundo, quoniam sit causa efficiens motus, quo corpora illud vitant: tertiò, utrum in vacuo corpus aliquod posset moueri.

SECTIO I.

Virum sit, vel naturali aliqua virtute possit esse aliquod vacuum in rerum natura.

DE finit Philosophus vacuum textu 57. *Locum, qui est priuatus corpore.* Locus significat superficiem ambientem, nam in eo vacuum ab inani differt, quod est supra caelos, quod inane non ambitur vlla superficie corporis: vacuum autem intra duas clauditur superficies.

Dico primo, nullum in rerum natura esse vacuum intra caelos. Ita docet, & fusè probat Philosophus 6. 6. contra Epicureos, & plures alios Philosophos volentes, quod vacuum corporibus esset immixtum, ac per mundi vniuersitatem porrectum; quod quibusdam etiam modernis placet Epicuri & Democriti

Reproductio sufficit ad replicationem

Impossibilitas vacuum

Probata est

Democriti adoratoribus; corpuscula enim volunt sola esse principia componentia quodlibet corpus, quæ cum variè figurata sint, non ita coalescere possunt in vnum, quin ita nectantur, ut plurima vbi-que spatiosa relinquunt vacua. Alius autem in oppositum abiens figmentum, negat esse vllum, vel etiam diuinitus esse posse vacuum, vel supra, vel infra cælum, ex eo, quod corpus non sit aliud, quàm spatium, quod cum necessariò tum supra, tum infra cælus reperitur, vbi-que potest corpus aliquod contineri, falsò dicitur esse spatium illud imaginarium, vel etiam vacuum; cum corpus illud sit eo ipso, quod spatium est: si ergo vas aliquod omni alio corpore priuatur, non erit tamen vacuum, quia tunc adhuc eius latera inuicem distabunt.

Probata ex-
perientia.

Primò autem esse impossibile omne vacuum aut vacuolum in natura, probatur à posteriori pluribus clarissimis experientis, ex quibus omninò constat quantoperè à vacuo abhorreat natura. Prima sit, quod latera follium si contricta sint, nulla vi dinelli possunt nisi patente orificio, per quod aer repleat spatium laterum diductorum. Secunda, quando phiala aqua plena versùs terram conuertitur, stat aqua, nec effluit à vase, quia nequit aer penetrare aut implere fundum. Tertia, si fistula intra aquam vna ex parte immersa fuerit, velique aliquis aerem ex altera parte attrahere, attrahet necessariò aquam, ne fiat vacuum intra fistulam: ex quo habent originem hydraulica omnia instrumenta. Quarta, quando aqua priùs calida intra latera vasis oclusi congelatur, vas necessariò frangitur, ne videlicet detur vacuum. Quinta, idè cucurbitula Chirurgorum carnem sursum attrahunt cum humoribus, quia candelà extinctà rarefactus prius aer condensatur, & minorem occupat locum quàm antea. Sexta, lucerna illa, quæ vulgò dicitur Cardani, facta in modum turris, propterea oleum conceptum, quod habet in se, non effundit, quia aliòqui in superiori parte ad quam commicare non potest oleum, daretur aliquod vacuum; educitur autem oleum ex vi ipsius ignis, cuius ardore oleum ipsum extenuatur & rarefit, ita ut totum occupet spatium: vnde constat, lucernam etiam calefieri. Septima, si æqualiter aliquis extrahat cyathi os ex aqua, tunc ascendit simul etiam aqua, quia non potest ita celeriter totum aer implere cyathum. Octaua, duo sint foramina in vase, ocludatur superius apertio inferiore, tunc non effluet aqua à vase, ne vacuum sit intra ipsum vas. Nona, hoc etiam patet in clepsydra; obturato enim superiori orificio, non descendit aqua per foramina inferiora, ne relinquat vacuum dum subintrare non potest aer. Decima, si calefiat phiala vitrea, & postea os eius supponatur aquæ, ita ut aer non possit intrare, descendit aqua ipsa intra phialam, eo quod inclusus aer addensetur frigore. Alia innumera huiusmodi proferri possunt, de quibus dubitari nullo modo potest. Vide Fracastorium *lib. 2. de Symplicia*, Cardanum *lib. 1. subtilitatis*, & alios sine numero. Ex quibus omninò conuincitur, quàm immeritò noni Epicurei sua illa fingant vacuola, cum tot spectaculis persuadeat natura quantoperè vacuum exhorreat, etiam minimum.

Secundò tamen ratio à priori difficilis est, quam non rectè videntur aliqui ex eo ducere, quòd influxus cœlestes per vacuum non possent in sublunaria descendere; quasi verò si vacua esset modica lagena, impedirentur influxus siderum sublunaria vndique peruadere.

Videtur ergo vnica illa esse ratio, quia vnio partium omnium vniuersi est ornamentum eius pulcherrimum, ad cuius bonum partes eius omnes na-

R. P. de Rhodis curs. Philosoph.

turaliter inclinantur; hæc autem vnionem vacuum dissolueret, vnde sit ut ad illud vitandum toto nisu conspiret natura, quam vincere nulla creata vis possit, etiam angelica, quia scilicet cum corpora naturalia illud tantoperè impediunt, signum est illud esse planè contrarium bono vniuersi, atque adeò illud non posse ab Angelo induci.

Obicitur primò, noua quædam experientia ^{Prima ob-} paucos ante annos inuenta, primò Florentia, ex ^{iectio.} qua probari euidenter vacuum nonnullis videtur recentioribus. Conficiatur videlicet tubus vitreus, aut metallicus, altera parte sigillatus & oclusus, altera quasi orificio adaperitus; impleatur autem hydrargyro, & orificium obducatur digito; obuertatur postmodum fundus sursum, & immisso in vas aqua plenum orificio, subducatur digitus, tum eueniet ut hydrargyrus in subiectum vas defluat, non tamen totus, sed restet intra tubum supra restagnantis aquæ superficiem; ad digitos 27. Vbi patet, relinqui vacuum in superiore illa parte tubi, quò non potuit penetrare aer. Mirum autem hoc est in nobili hoc experimento: primò quòd hydrargyrus quantæcunque magnitudinis fuerit tubus, consistat semper intra tubum ad altitudinem digitorum 27. secundò, quòd orificium tubi, si ad aquæ, aut aeris confinium, seu superficiem fuerit elatum, aqua in tubum prorumpit, hydrargyrum propellit, ac superius, eo tandem depulso, euadit, & tanto impetu prorumpit, ut tubum etiam ipsum frangat, hoc est nobilissimum illud experimentum ab anno (ut dicitur) 1643. excogitatum, & à pluribus scriptoribus nobilissimis illustratum, apud omnes doctos exactissimè comprobatum.

Resp. nullo modo probari vacuum ex ea experientia, ut etiam fatetur doctissimus Gassendus; imò contrarium euincitur primò, quia intra cavitatem tubi, si vitreus fuerit, videtur lumen; quod cum sit accidens, inhaeret subiecto: ergo intra cavitatem illam est corpus aliquod. Imò à peritis quibusdam compertum est, fieri rarefactionem intra hunc tubum, aut etiam edi posse sonum. Secundò hydrargyrus abundat spiritibus (ut patet) quibus repleti facile potest cavitatis illa tubi. Quæro enim, vel natura vacuum omninò refugit, vel non refugit; si omninò refugit: ergo intra tubi cavitatem non est vacuum; si non refugit, cur ergo tantos conatus edit, ut illud deuict? cur latera follium oclusi hiatus dirumpuntur? cur ascendunt graua, leuia descendunt, & cætera omnia eueniunt in natura, quæ nuper retuli? Ea certè tam clara sunt, ut non nisi temerè asseri possit vacuum. Scio aliter propositam esse à Galilæo experientiam hanc de tubo vacuo; volebat enim immitti intra tubum maiorem, alium tubum iustæ magnitudinis, ad implendam eius cavitatem. Deinde adhibitis ponderibus retrahi; tunc enim neque aer, neque vlli alij spiritus poterunt subire in illam cavitatem, quæ proinde manebit vacua.

Sed in promptu responsio est, non posse fieri ut immixtus tubus minor in cavitatem tubi maioris creatâ vllâ vi auellatur, si adeò exactè connexa superficies interioris tubi, sit æqualis concavæ superficiei tubi exterioris, ut illam omninò repleat: sic enim rumpuntur follium latera, stat aqua intra phialam quoties penetrare non potest aer, frangitur vas oclusum intra cuius latera congelatur aqua priùs calida.

Difficilius est causam assignare, cur non totus à tubo defluat hydrargyrus, sed consistat semper ad altitudinem pedum duorum, & digitorum trium cum semisse. Deinde quare ille totus illic defluat,

V 2

vbi

vbi ad superficiem aquæ orificium tubi eleuatum fuerit.

Varia circa vtrumque hoc experimentum afferri solent causæ à Doctõribus. Dicerem ego tamdiu restagnare hydrargyrum in subiectam aquam, quamdiu per eos spiritus, quos exhalat, replere potest spatium, quod relinquitur inane in cavitare ipsius tubi, quando non potest consistere necessario intra tubum; vnde fit vt eo experimento, quo contendunt aduersarij vacuum probari, potius probari possit eius impossibilitas; quero enim ab illis causam aliquam probabilem, quare totus in aquam non defluat hydrargyrum, nisi quia totum illud spatium manere vacuum non potest.

Alterum quod quærebatur, probat etiam impossibilitatem vacui. Causa enim cur in subiectam aquam pondere suo cadat hydrargyrum è tubo, si tubi orificium eleuetur ad consinium aeris & aquæ, alia non potest excogitari, nisi quia tunc aer subtilissimus per tubi latera subiens ascendit sursum, & spatium replet, quod vacuum relinqui non potuit ab hydrargyro. Scio aliter hæc dissolui, & disputari ab eruditissimo Gasendo, & à nouis quibusdam Philosophis, antiquæ ac sapius damnatæ doctrinæ Leucippi, Democriti, Epicuri, Thaletis recoctõribus, quorum ingenia sanè miror, dogmata nec approbare possum, nec sequi.

Obiicitur secundò. Si non datur vacuum, quando aliquis ambulat, mouet aerem, & illum expellit à spatio, quod occupat, vel potius in quod subit: hoc autem fieri non potest: quod probo, quia cum intras cubiculum, vel ingressus tuus prior est expulsionem aeris, vel est posterior; si est prior: ergo datur manifestè penetratio; si est posterior: ergo tuus ingressus non causat expulsionem aeris.

Resp. ex dictis secundò physicorum de mutua causalitate causarum, expulsionem aeris ab eo spatio esse necessariò priorem, quàm sit ingressus corporis expellentis, alioqui daretur penetratio; illud autem quod causat expulsionem aeris ab eo loco, non est ingressus corporis, sed est impulsus, quem imprimit corpus aëri, vt notabam eo loco.

Obiicitur tertio. Dantur tabulæ duæ perfectè planæ, ita contiguae, vt se tangerent secundum omnes partes; vna ex illis tabulis, tota simul eleuetur: tunc non potest aer eodem tempore moueri ad totum spatium occupandum: ergo est necesse dari vacuum. Similiter dolium sit vino plenum, deinde vinum illud in vtres infundatur, qui omnes ponantur in eodem dolio, tunc dolium vtres simul capiet, & vinum.

Resp. nulla vi creata posse tabulas illas diuelli à se inuicem; vnde cernimus, quod tabula in aquam demersa, si subito extrahatur, secum trahit aquam. Deinde à vino quod in vtres funditur certum est multum extrahi spirituum, & aeris; ideoque mirum non est si postea eodem capiat dolio.

Obiicitur quartò, ad impediendum vacuum tria tantum sunt necessaria: primò vt ex hoc cubiculo omnia eiciantur corpora, quæ sunt intra illud: secundò vt impediatur ingressus aliorum corporum: tertio vt parietes retineantur in loco, in quo sunt. Hæc tria potest Angelus, aut saltem omnes Angeli simul; virtus enim finita potest superari per vim finitam maiorem: ergo potest Angelus inducere vacuum.

Resp. negando, posse Angelum impedire aerem, vel aliud corpus, ne moueatur ad replendum vacuum; potest enim virtus finita minor superari per virtutem finitam maiorem si debeatur virtuti

A maiori concursus diuinus ad superandam virtutem minorem; si autem non debeatur talis concursus, certè non potest virtus minor superari à virtute maiori; cum autem vacuum, vt dixi, repugnet bono vniuersi, non debetur Angelo concursus ad superandam vim finitam, quæ videtur minor.

Obiicitur quintò celeberrima etiamnum inter eruditos Doctores experientia; sit enim tubus vitreus, vna solum ex parte obturatus, intra quem musca includatur, vel mus; tum aer inclusus extrahatur obturatà statim alterà tubi extremitate; tunc certum est muscam, vel muicem intra eum tubum statim emori ex defectu aeris, quem spiritus ducere possint: ergo manifestum est dari vacuum in ea tubi cavitare; cur enim si aer ibi esset, morerentur statim hæc animalia?

Resp. negando dari tunc vacuum in ea tubi cavitare, ex qua falsò supponitur totum aerem extrahi posse; cum constet extracto aëre eleuari solere aquam aut aliud corpus aëri contiguum: non extrahetur itaque vnquam totus aer tubo illo inclusus, sed cavitatis illa plena erit aëre rarefacto, & adeò extenuato, vt non sufficiat ad respirationem viuientis, ex quo contingere potest repentina mors illorum animalium in tubo inclusorum, sicut dicitur in quibusdam montibus aerem adeò esse tenuem, vt qui per ea loca transeunt, egeant spongiis aqua madefactis, quas continuo naribus admoueant ad supplendum aeris defectum.

C Obiicitur sextò. Si non datur vacuum, oportet vt propria vi graui ferantur sursum ad impediendum vacuum, & leuia ferantur deorsum; nulla enim causa potest assignari alia huius motus; consequens autem illud absurdum est, quia grauitas deorsum mouet, & leuitas sursum: ergo potest dari vacuum.

Ad hoc argumentum clara erit responsio ex quæstione sequenti, sed prius

Dico secundò, tametsi nulla vi Angelica, vel humana possit induci vacuum, dubitare tamen vtrum Deus facere possit vacuum, nec est Christiani, nec Philosophi. Contra nouum istum (vt dixi) vanissimæ Philosophiæ inuentorem, qui cum falsò statuatur solum spatium dimensum esse corpus, contra omnem rationem, & omnem Philosophiam, consequenter etiam asserit, ne diuina quidem vlla virtute fieri posse vacuum; sed hoc vanissimum, & falsissimum fundamentum est, ex quo sequitur penetratio corporum, quæ penetrantur cum spatio; sequitur manere in Eucharistia totam substantiam panis, cum maneant accidentia trinè dimensa, & alia huiusmodi absurda, ex quibus omnino arguitur, esse sententiam illam temerariam, & vanam. Neque rectè obiicitur, quod inter latera vasis, quod diceretur esse vacuum, semper esset distantia realis; illa enim distantia esset pura negatio, quæ non est aliter realis, quàm quo modo realiter chimæra est impossibilis.

SECTIO II.

Quenam sit causa efficiens, quæ corpora mouet ad vitandum vacuum.

Certum est, quatuor modis impediiri vacuum. Primò per rarefactionem, quæ contingit in corporibus suâ naturâ fluidis; & causa huius rarefactionis eadem illa est, quæ statim dicitur esse causa motus. Secundò impeditur per fractionem alicuius corporis duri, v. g. vasis, quod cum rarefieri ob duritiem non possit, frangitur, & causa huius fractionis,

Secunda obiectio.

Tertia obiectio.

Quarta obiectio.

Quinta obiectio.

Sexta obiectio.

Pri

Sec

ob

Quatuor

modis im-

peditur va-

cuum.

fractionis, eadem illa est, quæ causa esset rarefactionis. Tertiò impeditur per puram resistantiam negativam, ut quando compressa latera folium non nisi aperto orificio ab invicem diuelluntur; causa resistantiæ huius est corpus ipsum resistens, quod propter colligationem naturalem corporum, quando non succedit aliud corpus, firmissimè alteri adhæret. Quartò per motum localem, quando corpora grauia sursum ascendunt, & leuia deorsum mouentur.

Difficultas ergo est, quænam sit causa illius motus. Volunt nonnulli Doctores causam hanc aliam non esse nisi solum Deum: alij grauitatem aut leuitatem corporis quod mouetur. Alij quandam meditantur qualitatem motuum omnibus inditam corporibus ad vitandum vacuum: alij volunt corpora quælibet habere vim quandam magneticam ad vitandum vacuum, & trahere alia corpora.

Conclusio. Dicendum autem est, grauia & leuia moueri ad replendum Vacuum ab eo agente, à quo mouetur corpus, in cuius locum succedere debet aliud corpus, ne detur vacuum, quod accidit propter naturalem colligationem corporum quociens in eorum locum non succedit aliud corpus.

Ratio. Ratio est, quia sicut qui trahit anulum vnum alicuius catenæ, totam trahit catenam, ita cum omnia corpora colligata sint, quociens non succedit aliud corpus, cum Deus decreuerit non dare concursum ut illa separentur, sequitur illa ita firmiter inuicem adhærescere, ac si vnita essent, idèd qui trahit vnum, trahit alium. Et confirmatur, quia quociens eleuamus tabulam, & aquam simul, maius sentitur pondus, quàm si sola eleuaretur tabula: ergo signum est virtutem, quæ tabulam eleuat, eleuare ipsam etiam aquam.

Prima obiectio. Obiicitur primò, Motus hic corporis grauis sursum, vel est violentus, vel naturalis. Non primum, quia corpora naturaliter vitant vacuum: non secundum, quia grauia non mouentur sursum nisi violenter.

Resp. motum illum corporis grauis sursum esse violentum, quia est à principio extrinseco nihil conferente passo, idèd contra naturalem impetum aquæ; vnde etiam sentitur pondus. Potest tamen aliquo modo dici motus ille naturalis, quatenus corpus graue, ut est pars vniuersi, habet inclinationem ad illum motum, quo vitatur vacuum; quatenus autem aqua est tale corpus, motus est illi violentus.

Secunda obiectio. Obiicitur secundò, Si Deus destrueret totum aërem inter terram & cælum, vel terra volaret statim in cælum, vel cælum caderet in terram: neutrum dici potest, quia sic relinqueret terra locum vacuum, in quo est, si ascenderet sursum; & cælum similiter, si descenderet. Deinde non esset maior ratio cur ad vnam potius cœli partem terra moueretur, quàm ad aliam. Denique nulla esset causa effectiua illius motus, suppono enim quod Deus in instanti aërem destruat.

Resp. quod si nullum corpus succederet in locum terre, terra nullo modo ascenderet in cælum. Imò etiam si posset succedere, tamen quia aër in instanti destrueretur (ut suppono) nec trahere posset terram ad cælum, idèd manere ibi deberet terra vbi nunc est. Quemadmodum si Deus in instanti destrueret aërem cubiculi, parietes manerent vbi nunc sunt; si autem per motum localem remoueret aërem impediendo aliud, iungerentur parietes. Ita si Deus per motum localem amoueret aërem inter cælum & terram, terra in cælum as-

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A cenderet versus eam partem, qua remoueretur aër; si autem omni ex parte illum amoueret, deberet aër ascendere versus illam partem quæ determinaretur à Deo.

SECTIO III.

Utrum in vacuo posset dari motus.

Propter Aristotelem istud præcipuè quaeritur, qui probat ex professo, motum in vacuo esse impossibile, ut impugnet plures Philosophos, qui ut motum statuerent, inducebant vacuum, si ne quo negabant esse posse motum. Videndum igitur paucis est primò, vtrum motus esse posset in vacuo, si corpus in eius medio poneretur: secundò si contiguum esset alteri corpori: tertiò vtrum in eo ascenderent grauia, & leuia descenderent.

Dico primò. Si daretur vacuum in rerum natura, **Prima conclusio.** & in eius medio poneretur corpus, posset illud etiam naturaliter in eo moueri.

Ratio est, quia nihil est quod impedire possit motum corporis existentis in vacuo, habet enim vim motricem, nullum corpus contiguum illud retinet, non eget loco pleno ut exerceat vim motricem; poterit ergo moueri localiter corpus in medio vacuo constitutum.

Dico secundò. Si corpus ponatur in spatio vacuo contiguum alteri corpori, non poterit moueri naturaliter, nisi succedat in locum eius aliud corpus. **Secunda conclusio.**

Ratio est, quia naturaliter omnia corpora colligata manent ad vitandum vacuum: ergo si vnum corpus contiguum sit in vacuo alteri corpori, necesse erit ut immotum maneat si non succedat in locum eius aliud corpus, alioqui dabitur vacuum naturaliter. Si ergo lapis esset positus iuxta rectum alicuius aulæ, quæ vacua esset, lapis non caderet; flamma non ascenderet si posita esset in hoc plano, &c.

Dico tertiò. In vacuo quod esset intra cælum, grauia non descenderent, nec ascenderent leuia. **Tertia conclusio.**

Ratio est, quia nulla tunc esset ratio cur illa vel ascenderent, vel descenderent, idèd enim grauia descendunt, quia postulant habere supra se id quod est leuius, & leuia idèd ascendunt, quia postulant habere sub se id quod est grauius: sed in vacuo illud non haberent: ergo in vacuo nec ascenderent leuia, nec grauia descenderent. Confirmatur, quia si Deus totum mundum destrueret præter vnum lapidem, certum est quod ille lapis maneret immotus: ergo signum est locum grauium non esse illud, quod nunc dicitur centrum mundi; & locum leuium non esse concuum lune, sed illud omne spatium vbi leuia non habent immediatè supra se corpus graue, & grauia sub se non habent corpus leue.

Obiicitur primò autoritas Philosophi, qui negat motum esse posse in vacuo. **Prima obiectio.**

Resp. tamen illum in iis locis argumentari contra veteres Philosophos, qui volebant resistantiam medijs esse totam causam motus; ex quo probat contra illos hinc sequi quod nullus in vacuo esset motus.

Obiicitur secundò. Si detur in vacuo motus, dabitur naturaliter vacuum. Deinde nullus est motus, qui habere non debeat terminum realem: si autem fieret in vacuo motus, ille non haberet terminum realem. **Secunda obiectio.**

V 3 Resp.

Resp. posse dari naturaliter vacuum, nisi corporum connexio illud impediat; si autem in medio vacuo esset lapis, non esset connexus cum illo corpore, quod motum eius impedire posset. Motus qui fieret in vacuo, terminum etiam realem haberet, quia spatium imaginarium est etiam aliquid reale.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio. Motus in vacuo esset in instanti, quia causa successionis motus est resistentia medij: sed motus in instanti est impossibilis: ergo motus in vacuo est impossibilis.

Resp. causam successionis in motu non esse solam resistentiam medij, sed illam esse potissimum distantiam, seu latitudinem medij decurrendi; nam cum de essentia motus sit ponere mobile in spatio maiori se, siue illud sit reale, siue sit imaginarium, implicat mobile in instanti moueri, quia implicat adæquari spatio maiori se, abstrahendo à qualibet resistentia medij. Semper ergo successiuus erit motus, qui fiet in vacuo, quamuis ex maiori, vel minori resistentia medij maior vel minor sit velocitas motus.



DISPUTATIO V.

De duratione.

Aristoteles lib. 4. à cap. 10.

QUESTIO VNICA.

Quid, & quotuplex sit duratio.



IN vbiatio, de qua dixi hactenus, est presentia rei ad locum, sic duratio est presentia rei ad tempus, de qua tria breuiter super sunt dicenda: primo in genere, quid, & qualis sit duratio: secundo quamnam sint species durationis permanentis: tertio an, & quid sit duratio successiua.

SECTIO I.

Quidditas durationis in communi, & distinctio eius à re durante.

REuiter tota hæc controuersia dirimi potest ex dictis de presentia locali, quam negabam indistinctam esse à re locata; de vtraque enim similis ratio est.

Quid sit duratio.

Dico primo, durationem rectè definiri *permanentiam rei in esse, seu coexistentiam rei cum tempore vel reali, vel imaginario*: vel etiam, vt alij dicunt, *existentiam rei prout illa dicit negationem inceptions*: quia nimirum res quælibet existit in primo instanti, sed in eo tamen non durat, quia in primo instanti non habet perseverantiam in esse, neque connotat esse præhabitu.

Primo instanti res non durat.

Neque dicas primo. Tunc res durat, quoties denominatur per quando: sed querenti quando res incepit, responderetur per primum instans: ergo in primo instanti res dicitur durare.

Resp. enim negando maiorem, non enim res durat quoties responderetur quando illa incepit, sed quando permanferit in esse, hoc enim est durare; incipere autem non est durare.

Successiua durans.

Neque dicas secundo: Si durare est permanere

A in esse, sequitur res successiuas non durare, quia non permanent in esse.

Resp. duplicem esse rei permanentiam in esse, aliam quæ opponitur successioni, & est perseverantia in esse toto simul; illa permanentia rebus successiuis non conuenit: alia permanentia non opponitur successioni, sed solum interruptioni, & inceptionsi, & est perseverantia in esse, siue toto simul, siue per partes sibi continuè succedentes; & hæc conuenit rebus successiuis; nam quia illæ non existunt nisi dum fiunt, ideo dicuntur existere quamuis non omnes partes rei successiue factæ sint adhuc: dicuntur item permanere in esse, quamdiu nouæ partes fiunt quæ nondum erant; cum enim nouæ adduntur partes, ipsum esse rei successiue crescit, & consummatur. Duratio ergo connotat semper rei præexistentiam, vel in toto, si res sit permanens; vel in parte, si sit duratio rei successiue.

Dico secundo, durationem internam rei non distinguí realiter, aut modaliter à re durante, quæcunque illa sit, sed formaliter tantum & connotatiue. Ita tenent omnes qui negant distinctionem vbiatationis à re vbiata, & præter eos etiam alij non pauci, Suarez disp. 50. sect. 1. Valques 1. p. disp. 33. n. 18. Gillius lib. 2. tract. 10. n. 3. Falsolus, Hurtadus. Contrarium censent alij non pauci.

Obserua durationem aliam esse internam, aliam externam: interna illa est, per quam res propriè dicuntur durare; vnde tot sunt intrinsecæ durationes, quot sunt res durantes. Extrinseca est illa, per quam cognoscitur quantum res illa durauerit; sic enim motus cæli duratio est omnium rerum, quia per illum cognoscitur quanta rerum omnium fuerit duratio interna. His positis

Ratio est primo, quia duratio non est aliquid distinctum à re durante, si vt res duret non sit necesse vt acquirat aliquid noui postquam primo producta est: sed vt res aliqua duret postquam primo producta est, non est necesse vt acquirat aliquid noui: ergo duratio non est aliquid distinctum à re durante. Probatur minor. Vt aliquid permaneat in eo quod iam habet, non est necesse vt acquirat aliquid noui: sed vt res duret, debet tantum permanere in eo quod iam habet, duratio enim est permanentia rei in esse, quod habet: ergo vt res duret, non est necesse vt acquirat aliquid noui postquam primo producta est. Deinde si per mentem tollatur à re durante quidlibet aliud præter existentiam perseverantem esse, res illa verè durabit: ergo non requiritur aliud superadditum, & distinctum.

Secundo. Si duratio esset modus distinctus ab entitate, vel esset aliquid fluens, vel permanens. Si fluens, illud non habet causam vllam productiuam, quis enim nouum hunc modum iam in me producit? Si permanens: ergo implicaret vt nunc non essem cras realiter & formaliter, habeo enim modum qui essentialiter respicit cras. Imò sequeretur me nunc existere cras, quia totam habeo durationem crastinam formaliter: ergo nunc sum cras.

Tertio. Vt aliquid duret, sufficit si respondeat diuersis temporibus: sed ex vi solius existentie, præcisè aliis omnibus, res durans responderet variis temporibus: ergo ex vi suæ existentie, præcisè aliis omnibus, res durare dicitur. Probatur minor. Quando è duobus extremis alterum est mutabile, potest illi alterum respondere immotum manens, sicut pons v.g. immotus manens supra flumen, variis responderet aquis fluminis sub illo successiue decurrentibus: ergo res permanens & immota potest respondere rei successiue.

Dico